CATECHESIS
ECCLESIARUM
QUÆ
In Regno *Poloniæ*, & magno Ducatu *Lithuaniæ*, & aliis ad istud Regnum pertinentibus Provinciis, affirmant, neminem alium, præter Patrem Domini nostri Jesu Christi, esse illum unum *Deum* Israëlis: Hominem autem illum *Jesum* Nazarenum, qui ex Virgine natus est, nec alium, præter aut ante ipsum, *Dei Filium* unigenitum & agnoscunt & confitentur.

Ante annos quatuor Polonicè, *nunc verò etiam* Latinè *edita.*

OSE. 14. 10.
Rectæ sunt viæ Jehovæ, & justi ambulabunt in eis: Prævaricatores verò corruent in eis.

RACOVIÆ,
Anno Domini, M.DC.IX.

Harvard College Library
Norton Collection.
Dec. 3, 1907.

Transferred to Divinity School

ANDO[illegible]VARD
THEOLOGICAL LIBRARY
CAMBRIDGE, MASS.

SERENISSIMO ATQUE Potentissimo *Principi* & *Domino*, D^no^

JACOBO,

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ, &c. Regi, Domino Meo Clementissimo.

QUemadmodum omnibus (Rex Serenissime!) quæ veri speciem & probitatis æmulationem imponere volunt, lux est invisa, & exa-

men omne formidoloſum, nè fuco detecto, fraudéque deprehensâ, repudientur: ità eorum quæ vera & ſincera ſunt, ingenium eſt, ut luce gaudeant, omnium oculis inferri, omnium examini ſubjici, vehementer geſtiant, quò talia omnibus, qualia naturâ ſunt, reipsâ appareant, & nativæ genuinæque veritati, ſinceritatíque meritam apud omnes autoritatem vindicent & aſſerant. Res hæc adeò teſtata eſt, & antiquitatis & vitæ præſentis exemplis, ut nullam probationem requirat. Ex omni tamen Antiquitatis memoriâ, ex

omni Annalium vetuſtate, ex omni vitæ quotidianæ conſuetudine, nihil erûi, nihil elici, nihil depromi poteſt, quod Sacris Literis, Novi præſertim Fœderis, eo in genere conferendum videatur. Ab ipſis primis initiis ut lucem aſſpexêre, illico inſtar ſplendoris matutini, ſeſe in omnes mundi partes diffundentis, in oculos omnium & examen quàm rigidiſsimum venire voluêre, quò veritatem & probitatem ſuam, ab omni fuco & impoſturâ quàm alieniſsimam, omnibus patefacerent & approbarent: Neque pedem ab inſti-

tuto retulere, donec accuratiſſimè examinatæ, exploratæ, approbatæ, & pro divinis prorſus agnitæ, in ſummâ divinæ Majeſtatis ſede, unanimi omnium hominum & temporum conſenſu, collocarentur. Adeò divina veritas luce crevit, adeò examine vires collegit, radices egit, & eſt propagata. Unde, quid de iis ſcriptis, quæ ſummâ vi connituntur, ut legantur ab omnibus, dijudicentur ab omnibus, omnium etiam ultro examen provocent, ſtatuendum ſit, indicium habetur evidentiſsimum. Atque hæc quidem

ratio nobis, qui Deum unum Israëlis, Patrem Domini nostri Jesu Christi, & filium ejus unigenam, Dom. Jesum Nazarenum profitemur, unicè proposita fuit, in omnibus scriptis, quæ hactenus in lucem de rebus divinis dedimus hùicque insistendum nobis summo studio existimavimus, & adhuc existimamus. Hinc factum est, ut nunc etiam Ecclesiæ nostræ eâdem ratione permotæ, Catechesin hanc Latinitate donatam, Augusto Nomini S.R.M.T. inscribendam & dedicandam per me duxerint: prout etiam ego ea-

rum nomine, S. R. M. T. inſcribo & ſubmiſsè dedico. Etenim, ſi lux quærenda fuit, ubi ea major, quàm tanti Regis & Principis vultus? ſi examen expetendum, à quo accuratiùs, quæſo, inſtitui poterit, quàm à S. R. M. T. quæ religionis purioris ſuſcepto patrocinio, Divinis Literis ipſam divinam veritatem perfectiſsimè contineri agnoſcat, ob ídque de ſcriptis in religione Chriſtianâ controverſis, ex Sacrarum Literarum decretis, non hominum, quicunque tandem ſint, placitis, eſſe ſtatuendum cenſeat? Nec verò

id examen indignum S.R.M. T. censeri debet. Nam si veritate divinâ nihil præstabilius, si Dei gloriâ & Christi Domini nostri honore nihil illustrius, si hominum salute sempiternâ nihil pretiosius, nè cogitari quidem potest; certè nihil erit tam regium, tam sublimi personâ S.R.M.T. & excelso, atque res humanas despiciente animo ipsius dignum, quàm ea scripta exquisitissimè rimari & perscrutari, quæ Dei gloriam & Christi Domini nostri honorem, ac ipsam nostram salutem, ab omni traditionum humana-

rum labe, ipsâ divinâ veritate Literis Sacris comprehensâ, repurgare nituntur, & expeditissimâ explicandæ Dei gloriæ, honoris Christo Domino nostro asserendi, & salutis consequendæ ratione, è Sacris Literis excerptâ, ac omnibus propositâ, eam ipsissimâ Sacrarum Literarum autoritate sancire & stabilire conantur. Excipe igitur hanc opellam regio vultu, *Rex Serenissime!*, & animum offerentis munus, exiguum mole, at virtute & pondere in magnis jure connumerandum, intuitus, in his oris, à S. R. M. T. amplissimis regnis,

longè

longè latéque diſtantibus, in aliorum numero me etiam unum eſſe patere, qui pietatem, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, cæteráſque regias virtutes S.R.M.T. quarum fama per Chriſtianum orbem diffuſa, ad nos etiam permanavit, à longè colat, miretur & veneretur. Quod ſi à S.R.M.T. factum fuerit, etiam aliqua ex eâ re (ut alia taceam) ad æquitatis & humanitatis regiæ laudem, quâ S.R. M. T. omnes oras complevit, fiet proculdubiò acceſsio. Deus & pater Domini noſtri J.Chriſti, ille ſolus clementiæ & conſolationis

Deus,

Deus, S.R.M.T. conſervet incolumem, & Eccleſiæ ſuæ & ampliſsimis regnis, quibus S. R.M.T. Dominus præeſſe voluit.

S. R. M. T.

E Prædio meo Czarkoviano. Addictiſsimus,

Hieronymus Moſcorovius

à Moſcorow.

Interpres

INTERPRES
Lectori candido & benevolo.

CAtechesin, Lector! Ecclesiarum nostrarum è Polonico Idiomate in Latinum sermonem traduximus. Expressêre id nobis vota multorum, multæq; etiam è remotissimis orbis partibus ad nos transmissæ preces. Ut verba & sententiam fideliter redderemus, annisi sumus. Quocirca stylo simplici & familiari utendum fuit. Id tamen tibi significandum putavimus, pauciſsima quædam à nobis mutata esse. Si verò

verò etiam animum tuum id offendat, quòd adversas sententias refutendas duxerimus, facilè illud & in lectione missum facere poteris: à nobis verò summam purgandi nos apud alios necessitatem id extorsisse scias. Vale (pie & candide Lector!) & Deum pro nobis deprecare, ut conatus nostros ipsius gloriæ, & Christi ejus, & utilitati multorum dicatos, fortunet & promoveat.

H.M. à M.

INDEX

INDEX Capitum & Materiarum.

De SCRIPTURA SACRA, *pag.* 1.

CAP. I. *De certitudine ſacrarum literarum,* pag. 2.
CAP. II. *De ſufficientiâ Sacrarum literarum,* pag. 12.
CAP. III. *De perſpicuitate Sacrarum literarum,* pag. 14.

De VIA SALUTIS, *pag.* 16.

CAP. I. *De cauſsis patefaciendæ Salutis viæ,* pag. 16.
CAP. II. *In quibus ea via Salutis conſiſtat,* pag. 22.

De

Index Capitum.

De COGNITIONE DEI, *pag.* 23.

CAP. I. *De Dei Essentiâ,* pag. 23.
CAP. II. *De Voluntate Dei,* pag. 38.

De COGNITIONE CHRISTI.

CAP. I. *De Persona Christi,* pag. 41.

De PROPHETICO *JESU CHRISTI* MUNERE, *p.* 108.

CAP. I. *De Præceptis Christi, quæ Legi addidit,* pag. 111.
CAP. II. *De Præceptis Christi, sigillatim ab eo traditis,* pag. 147.
CAP. III. *De Cœna Domini,* p. 154.

CAP.

Index Capitum.

CAP. IV. *De Baptismo Aquæ*, p. 162.
CAP. V. *De Promisso Vitæ Æternæ*, pag. 167.
CAP. VI. *De Promisso Spiritûs Sancti*, pag. 189.
CAP. VII. *De confirmatione Divinæ Voluntatis*, pag. 197.
CAP. VIII. *De Morte Christi*, pag. 200.
CAP. IX. *De Fide*, pag. 220.
CAP. X. *De Libero Arbitrio*, p. 223.
CAP. XI. *De Justificatione*, p. 240.

De OFFICIO *CHRISTI* REGIO, *pag.* 244.

De MUNERE *CHRISTI* SACERDOTALI, *pag.* 253.

DE

Index Capitum.

De ECCLESIA *CHRISTI*, *pag.* 293.

CAP. I. *De Ecclesia visibili*, p. 263.
CAP. II. *De Regimine & Gubernatione Ecclesiæ Christi*, p. 265.
CAP. III. *De Disciplina Ecclesiæ Christi*, pag. 272.
CAP. IV. *De Ecclesia Christi invisibili*, pag. 277.

INDEX

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ in Catechesi hâc expositorum.

Genesis.

Cap.	Vers.	Pag.
1	26	17
	27	
6	5	224
8	21	224

Psalm.

2	7	50, 51
51	7	225
68	19	104
110	10	51

Proverb.

8	23	51, 52

Isai.

8	14	103
9	6	91
	4	104
35	5	105
	6	
41	12	105
42	8	102
45	23	103
53	4	217

Jerem.

23	6	53

Mich.

5	2	50

Zach.

2	8	54, 55
12	10	104

Sap.

Sapien.

Cap.	Ver.	Pag.
2	23	18

Matth.

16	16	88,89
18	18	276
26	26	156 157 158 160 161
28	19	33, 34

Luc.

1	15	179

Joan.

1	1	46
	3	63 64 65
	10	65 66 67
	14	77,78

Ca.	Ver.	Pag.
2	19	246 247
3	5	166
	13	96
	16	88
	18	89
5	8	198
	12	87
	18	
	22	102
	23	
6	44	36 37
	51	158 159
	62	46
8	58	47 48
10	17	47
	18	48
	29	86
	30	87 96
		102
12	41	74

Cap.	Ver.	Pag.
	35	
	36	31
14	1	100
16	15	90
		91
	28	96
17	5	94
	10	90
		91
	18	96
20	28	85

Act.

13	48	237
		238
15	11	242
		243
20	28	60
		61
22	16	165
		166

Rom.

1	19	20
	20	21
	12	10
		225
	28	231
8	29	233
	30	234
	32	88
		89
	34	261
		262
9	5	85
	16	235
		236
10	15	271

1 *Cor.*

2	8	99
8	6	97
		98
10	4	73
	9	
	16	159
		160
	4	
12	5	35
	6	

2 Cor.		
Cap.	Ver.	Pag.
3	11	268

Gal.		
3	19	215

Eph.		
2	20	268
5	2	259
		260

Philip.		
		78
2	6	79
	7	80
		81
	9	122
	10	
	11	

Coloss.		
1	15	89
		90
	16	67
		68

1 Tim.		
Cap.	Ver.	Pag.
3	16	80
		81
6	15	25

Tit.		
2	13	58
3	5	164

Heb.		
1	2	68
		69
		71
	3	72
		260
	10	69
	11	70
	12	
2	16	81,82
7	25	261
10	5	83

1 Pet.		
1	10	94
	11	95

Cap. 3.

Cap.	Ver.	Pag.
3	18	279

1 Joan.

Cap.	Ver.	Pag.
3	16	61
		62
4	2	82
	3	83
5	7 8	36
	20	55
		56
7	25	261
		262

Jud.

Cap.	Ver.	Pag.
	4	57
	5	72

Apoc.

Cap.	Ver.	Pag.
1	8	59,
4	8	60
17	14	99
19	16	99

INDEX

Errata.

PAg. 3. lin. 11. *tam* unanimi. 8. 8. pertulerunt. 28. 16. usuveniunt. 29. 37. statuunt. 33. 15. essentia *divinâ*. 35. 2. notum est: *ut eâ in re ipsa cernere est*. 39. 7. *nos* ejus rei. 40. 14. *sibi* remuneretur. 43. 12. repugnet. 48. 8 omnes. 20 *eam* effici. 54. 12. referuntur. 16. eo *nomine*. 58. 17. illustratum. 73. 6. *erat* Christus. 22. vocet. 82. 19. Præterea. 20. 21. *quòd* Jesus Christus in carne venerit. 105 8. scriptum *exstat*. 122. 6. *prosequi*. 124. 10. invocaverit. 128. 17. *consummavit* sanctificatos. 147. 15. Quid verò. 235. 7. *ad*.

DE SCRIPTURA SACRA.

Quænam sit religio Christiana, velim abs te doceri?

Religio Christiana est via patefacta divinitus vitam æternam consequendi.

At ubi ea patefacta est?

In literis sacris, præsertim novi Testamenti.

Extant igitur aliæ sacræ literæ præter literas novi Testamenti?

Prorsus.

Quænam sunt?

Scripta Testamenti veteris.

A CAPUT

Caput I.

De certitudine Sacrarum Literarum.

Atunde constat tam novi quàm veteris Testamenti literas certas esse, nec suspectas?

Hinc, quòd non solùm causſa sit nulla, cur de iis dubitari queat; verùm etiam evidens Argumentum (quantùm ea fert materia) appareat, cur eis fidem adhiberi oporteat.

Qui verò docebis nullam esse causſam cur dubitari queat de iis scriptis: primùm *verò de scriptis N. Testamenti?*

Quatuor de causſis, ut apparet, jure de veritate librorum dubitari potest: è quibus nullam hìc deprehendere licet.

Quænam sunt istæ causſæ?

Prima est, cùm de Autore libri nihil prorsus constat: *secunda*, cùm Autor est suspectus: *tertia*, cùm apparet alicunde, librum esse corruptum: *quarta*, cùm

cùm Testimonia supersunt idonea, quæ fidem libro derogent.

Cedo, quî prima *caussa locum hîc non habeat?*

Quia ab ipsa religionis Christianæ origine, Christiani omnes, etsi multùm inter se diversi sententiis, in eo tamen concordes & consentientes fuerunt, Autores Scriptorum novi Testamenti eos fuisse, quos scripta præ se ferunt: adeò ut qui unanimi tot ætatum & hominum consensui repugnare vellet, hunc justissimam caussam ejus rei afferre oporteret.

Nónne à veteribus de quibusdam horum autorum fuit dubitatum?

Sané; sed cùm nullam dubitandi justam caussam afferrent, dubitatio hæc prorsus exolevit.

At secunda, *quî hîc deprehendi nequit?*

Autor suspectæ fidei censetur, si rem, quam scribat, non exactè teneat: aut aliter scribat quàm rem noverit: aut deniq; ejus rei aliqua exstent in scripto indicia: tale verò nihil in istis autoribus deprehendas, ut figillatim audies.

Quî verò hìc deprehendi nequit Primum ?

Ad eum modum, quòd de iis Autoribus nulla ſuſpicio animo obrepere poſſit ejuſmodi, eos rem, quam ſcripſerint, non exactè tenuiſſe : cùm quidem ſpectatores & auditores fuerint rerum, quas ſcripſerint, alii verò ab iiſdem ipſis pleniſſimè eaſdem edocti fuerint & accuratiſſimè perceperint.

Quî Secundum ?

Cùm Chriſtiana Religio mendacium etiam in re minimâ vetet, apparet eos Autores, qui non ſolùm Chriſtiani, verùm etiam religionis Chriſtianæ primidoctores fuere, mentiri nullo modo potuiſſe ; præſertim in re tantâ quæ ipſum Terrarum orbem in errorem pertraheret.

Quî Tertium ?

In his ſcriptis omnibus nulla repugnantia, nulla falſitas revera apparet, quòd accuratâ diſcuſſione locorum omnium, qui tale quid præ ſe ferunt demonſtrare non difficile eſſet.

Oſtendiſti, quî cauſſæ duæ è quatuor

hìc

hîc nihil habeant loci: ostende quî Tertia *non possit admitti?*

Omnino si *tertia* Caussa hic locum haberet, oporteret hæc scripta vel *ex toto*, vel *ex parte*, esse corrupta: *Ex toto* corrumpi non potuerunt; nec enim jam ii autores essent horum scriptorum, quos paulò antè esse docuimus. Sin verò *ex parte* corrupta fuissent, certè aut in iis rebus, quæ sunt magni momenti; aut in iis, quæ non sunt magni momenti corrupta fuissent. In illis quæ sunt magni momenti ea scripta depravari non potuisse hinc apparet; quòd pars depravata latere non posset, eò quòd incorruptis non responderet. In rebus verò non magni momenti, si depravatio aliqua existat, ea non tanti ponderis est, ut fidem libri ullo modo vocet in dubium.

Nónne posses etiam aliâ ratione idem docere, scripta Novi Testamenti non esse depravata?

Omnino; etenim incredibile prorsus est, Deum, cujus bonitas & providentia est immensa, ea scripta in quibus seipsum, voluntatémque suam & viam

ad ſalutem propoſuerat, & quæ ab omnibus piis tot temporum decurſu, pro ejuſmodi ſcriptis excepta & approvata fuerunt, depravari ullo modo permiſiſſe.

At verò quartum *quî hinc ſubmovebis?*

Id quidem jam ipſe poteras advertere, cùm nulla ſint apta & idonea teſtimonia fide dignorum hominum, quibus ea ſcripta premi vel oppugnari conſtet.

Quandoquidem docueris, nullum eſſe cauſſam, cur de Scriptis novi Teſtamenti dubitetur, doce etiam cur iiſdem fides ſit adhibenda?

Etſi hoc ipſum, quòd nullâ ſit juſta de iis dubitandi cauſſa, magnum argumentum ſuppeditet, cur iis fides ſit habenda, offeram tamen cauſſam adhuc longè graviſſimam, quæ fidem iiſdem conciliet neceſſariò.

Quænam ea eſt?

Religionis Chriſtianæ veritas: quæ cum iis tantùm, nec ullis aliis libris comprehenſa ſit, apparet, iis libris neceſſariò propterea habendam eſſe fidem.

At quânam re fidem facies mihi religionem Chriſtianam eſſe veram?

Ipſo

Ipso Religionis Christianæ autore, qui fuit homo divinus; ac ipsâ Religione, quæ etiam divina est.

At unde constat Religionis Christianæ Autorem fuisse hominem verè divinum?

E miraculis verè divinis, quæ idem fecit: & quod idem, cùm Religionis à se traditæ causâ mortem acerbissimam adiisset, à mortuis sit à Deo excitatus.

Qui scis eum fecisse miracula, eaq; fuisse verè divina?

Eum feciſſe miracula hinc manifestum est, quòd non solùm qui in eum crediderant, verùm etiam professi ipsius hostes, quales sunt Judæi, id fateantur: ea verò fuisse divina, hinc facilè agnoscès, postquam docuero, eum fuisse à mortuis à Deo excitatum. Nam cùm is affirmaret se miracula virtute divinâ feciſſe, perspicuum est, postquam is mortuus, à Deo vitæ restitutus est, verissimum fuisse quod affirmârat, nempe miracula ipsius fuisse divina.

Doce igitur eum fuisse à mortuis à Deo excitatum.

A mortuis eum à Deo excitatum esse, hinc apparet: *primùm*, quòd fuerint multi, illico post mortem ejus, qui constantissimè affirmârunt, quòd eum à mortuis excitatum vidissent: & propter hoc ipsum quòd ipsum à mortuis excitatum affirmarent, multas calamitates pertulerant: quidam verò etiam vitæ discrimen adiêrunt. *Deinde* innumerabiles alii, à prioribus idem accipientes, & ingentes calamitates, & mortes longè acerbissimas ejusdem rei caussâ subiêrunt. Ex quo efficitur necessariò, aut Jesum à mortuis exuscitatum esse, aut illos idcirco, quòd tantâ constantiâ asseverabant rem, quam falsam esse noverant, tot calamitatibus sese implicare, ac mortes etiam longè tristissimas perferre voluisse: posterius fieri nullâ ratione potuit, cùm ipse communis sensus id abundè refellat; quare prius omnino verum esse apparet.

Quod alterum argumentum habes hujus rei?

Id nimirum, quòd incredibile prorsus fuerit, eam religionem, quæ nullam vitæ

tæ hujus splendorem, nulla commoda, nullas voluptates cultoribus suis afferat; verùm etiam eadem illa omnia prorsus iisdem detrahat, & in multas vitæ hujus angustias, variásque afflictiones compellat, à tot nationibus recipi, nisi Jesu Christi à mortuis suscitatione confirmata fuisset.

Demonstrâsti Christianæ Religionis autorem fuisse hominem divinum: demonstrari etiam mihi velim, ipsam hanc Religionem esse divinam.

Id quidem ex ipso autore ejus divino jam perspicere potuisti: attamen & ex iis rebus, quibus constat hæc Religio, docere in promptu est; è *præceptis* nimirum atque *promissis*: deinde ex omnibus ejusdem Religionis *circumstantiis*.

At quâ ratione è præceptis & promissis *colligitur hanc Religionem esse divinam?*

Eâ quidem ratione; quòd & *præcepta* perfectam vitæ sanctimoniam, & *promissa* summum atque perfectissimum bonum comprehendunt.

Quænam sunt Religionis hujus circumstantiæ?

Initia, progressio, denique *vis* & *effecta*.

Quomodo ex initiis ipsius docebis eam esse divinam?

Hoc nullo negotio animadvertes, ubi expenderis quinam fuerunt, qui primi hanc Religionem fundaverunt; nempe homines viles, & apud omnes contempti; ac simul consideraveris, eos id feciſſe nullâ potentiâ, nullis opibus, nullâ sapientiâ, nullâ autoritate mundi subnixos; verùm simplici solùm prædicatione & persuasione usos, in hominibus ad sententiam suam pertrahendis.

E progressione verò quem ad modum id docebis?

Ad eum modum, quòd brevissimo tempore ea Religio mirum in modum creverit; & innumeræ nationes, atque homines, docti, indocti, nobiles, ignobiles, sexûs utriusque, Religionibus, quas à Patribus & majoribus hauserant, abjuratis, eam Religionem amplexi fuerint, nullis commodis vitæ hujus allecti, nec ullarum calamitatum, quæ hanc Religionem comitari solent, mole deterriti.

E vi porrò atque effectis quâ ratione id planum facies.

Primò, quòd nullo consilio nec astu; nullâ vi, nullâque hominum potentiâ, supprimi potuerit: *deinde*, quòd omnes priscas religiones sustulerit, exceptâ Judaïcâ, quam illa pro ejusmodi agnovit, quæ à Deo profecta ad certum tempus erat duratura.

Quàm certa & firma sint N. Fœderis *scripta hactenus docuisti, doce etiam* V. Fœderis *non minùs esse firma.*

Id quidem brevissimè doceri hinc potest, quòd scripta *Novi Testamenti* certa esse illa testantur. Cùm igitur testes ipsi sint veri & certi, ut hactenus docuimus, apparet, eorum testimonium certum verúmque esse.

Caput II.

De Sufficientia Scripturæ Sacræ.

Scripta divinarum literarum esse certa & firma satis probâsti: doceri amplius velim, an etiam sint ità sufficientia, ut in rebus ad salutē necessariis, iis solis acquiescendum sit?

Prorsus *sufficientia* sunt ad eam rem; eò quòd fides in Dominum Jesum Christum, & Obedientia mandatorum ejus, sit in iis scriptis Novi Fœderis sufficientissimè tradita & explicata, quam ex Dei promisso vita æterna consequitur.

Si res ità habet, quid igitur traditionibus *opus est, quas ad salutem necessarias in Romana Ecclesia aiunt, & Scripturam non-scriptam vocant.*

Bene rem percipis, eas prorsus ad salutem non esse necessarias.

Quid igitur de iis sentiendum est?

Eas non solùm sine causâ, & justâ neces-

necessitate confictas & inventas esse; verùm etiam summo cum discrimine fidei Christianæ.

Quodnam id esse potest discrimen?

Id, quòd caussam istæ traditiones subministrant hominibus à veritate divinâ ad mendacium & humana commenta deflectendi.

Veruntamen è Scriptura istas traditiones asserere videntur.

Ea Testimonia, quæ ad probandas *traditiones* è scriptura proferunt, demonstrant quidem Christum & Apostolos locutos fuisse, & feciſſe quædam quæ divinis Literis non sunt comprehensa; verùm nullâ ratione ostendunt, illa fuisse ab iis, veluti de manu ad manum, ad servandum temporibus perpetuis tradita; aut ea quæ literis divinis sunt consignata ad religionem & salutem non sufficere.

Caput III.

De Perſpicuitate Sacrarum Literarum.

ET certam & ſufficientem Scripturam Sacram docuiſti hactenus : an verò eadem perſpicua *ſit omnibus &* facilis, *oſtende.*

Etſi difficultates quædam in eâ occurrant ; eſt tamen Scriptura ſacra, præſertim novi Fœderis, *facilis* & *perſpicua* in iis, quæ ad ſalutem ſunt prorſus neceſſaria.

Quâ ratione id demonſtrabis ?

Primò, cùm Deus eo fine atque conſilio Scripturam ſacram hominibus tradi voluerit, ut ex eâ voluntatem ipſius cognoſcerent, incredibile prorſus eſt, ejuſmodi ſcripta tradi voluiſſe, è quibus voluntas ipſius perſpici & cognoſci ab omnibus non poſſet. *Deinde*, quòd ipſis Religionis Chriſtianæ principiis, Apoſtoli epiſtolas ſuas, in quibus præcipua Religionis Chriſtianæ myſteria continentur,

nentur, ad homines simplices scripserint.

At unde tot dissidia in eruendo Sacræ Scripturæ sensu emergunt?

Hinc, quòd homines Scripturam vel negligenter legant; aut cor non afferant sincerum, & ab omnibus impedimentis & cupiditatibus solutum; aut auxilium illud divinum, donum nempe Spiritûs sancti, quod Deus promisit dies noctésque eum invocantibus, non, quo par est, studio implorent.

Quis igitur doctorum *est usus?*

Ut homines ad ea, quæ percipere ipsi possunt, tuenda & servanda stimulent, & in difficilioribus percipiendis eosdem adjuvent.

DE

DE VIA SALUTIS.

Cap. I.

De Cauſsis patefaciendæ ſalutis viæ.

Quoad ſcripturam S. agnoſco mihi à Te ſatisfactum: Verum tamen cùm initio dixeris, hanc viam, quæ ad immortalitatem ducat, eſſe divinitus patefactam, ſcire velim cur id abs te dictum ſit?

Propterea, quia ut homo naturâ nihil habet commune cum immortalitate, ità eam ipſe viam quæ nos ad immor-

immortalitatem duceret, nullâ ratione per se cognoscere potuit.

Cur verò nihil habet commune homo cum immortalitate?

Idcircò, quòd ab initio de humo formatus, propterèáque mortalis creatus fuerit: *deinde* verò, quòd mandatum Dei ipsi propositum transgressus sit; eóque, decreto Dei ipsius in mandato expresso, æternæ morti necessariò subjectus fuerit.

Quì vero id conveniet iis scripturæ locis in quibus scriptum exstat, hominem ad imaginem Dei creatum esse; *&*, creatum ad immortalitatem; *&*, *quòd* mors per peccatum in mundum introierit. *Gen.*1.26,27. *Sap.*2.23. *Rom.*5.12.

Quod ad testimonium attinet, quod *hominem creatum ad imaginem Dei* pronunciat, sciendum est, *imaginem Dei*, non significare *immortalitatem*: (quod hinc patet, quòd scriptura eo Tempore, quo homo æternæ morti subjectus erat, agnoscat in homine istam imaginem. *Gen.*9.6. *qui effuderit sanguinem hominis, per hominem effundetur sanguis ipsius. Etenim ad Imaginem suam fecit hominem Deus.*

Deus. Jacob. 3. 9. *linguâ benedicimus Deo & patri & eâdem maledicimus hominibus, qui ad imaginem Dei facti sunt.*) sed *potestatem* hominis & *dominium* in omnes res à Deo conditas, supra Terram designare: ut idem locus, in quo de hac eadem imagine agitur, Gen. 1, 26. apertè indicat. *Faciamus hominem ad imaginem nostram & dominetur piscibus maris, & volucribus cæli & jumentis, & universæ terræ, & omni reptili quod reptat supra Terram.*

At verò de secundo *Testimonio quid censes?*

Primò, ex eo libro allatum esse, qui inter *Apocrypha* recensetur: quare certum Argumentum ex eo peti non potest. *Deinde*, quod in eo loco transfertur, *Deus creavit ad immortalitatem hominem*, hoc, *in incorruptione*, vi sermonis Græci reddi potest. *Porrò, integritas* & *incorruptio* non solùm ad naturam hominis; verùm etiam ad conditionem & fortunam ejúsque cursum felicem, ad vitæ terminum extremum, referri potest: atque hìc omnino referendum esse, sequentia verba, per Antithesin antecedentibus oppósita, demonstrant, quæ

quæ ſunt: verùm *Invidiâ diaboli mors introivit in mundum; & tentant* [inferre] *eam qui illius partis ſunt*, v. 24. 25.

Quid porrò ad tertium *reſpondebis?*

Apoſtolus eo in loco non agit de immortalitate, verùm de morte ipsâ: Mortalitas verò à morte multùm diſſidet; ſiquidem poteſt eſſe quis mortalis, nec tamen unquam mori.

Quæ igitur eſt horum verborum ſententia, quòd mors per peccatum introierit in mundum?

Hæc, quòd Adamus ob peccatum, decreto & ſententiâ Dei, æternæ morti ſubjectus eſt; proinde omnes homines, eò quòd ex eo nati ſunt eidem æternæ morti ſubjaceant. Rem ità eſſe collatio Chriſti cum Adamo, quam Apoſtolus eodem capite à v. 12. ad finem inſtituit, indicio eſt.

Animadverti hominem cum immortalitate *nihil commune habere: verùm quomodo hoc doceri poteſt, eum viam ad* immortalitatem *per ſe cognoſcere non qui viſſe?*

Ad eum modum doceri poteſt, quòd ea cognitio rationem humanam longè excedat,

excedat, uti Apoſtolus diſertè ait, 1 Cor. 2. 14. *homo animalis non percipit ea, que ſunt ſpiritûs Dei*; per *ea* verò intelligit, de quibus paulò ſuperiùs egit, v. 9, 10. *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſſcenderunt, quæ Deus præparavit diligentibus ſe, & nobis revelavit per ſpiritum ſuum:* quod & de immortalitate & viâ ad eam tendente accipi, res ipſa apertè monet.

At hoc idem potéſne alio ſcripturæ Teſtimonio planum facere?

Prorſus, & illo quidem, Rom. 1. 19, 20. ubi Apoſtolus ſic ſcribit. *Nam quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Etenim inviſibilia Dei ipſius à creatione mundi, factis intellecta conſpiciuntur, ipſáque ſempiterna ejus virtus & divinitas, ad hoc, ut ſint inexcuſabiles.*

At quâ ratione ex eo Teſtimonio id planum fit?

Ad eum modum, quòd ea Apoſtolus, quæ Deus per Evangelium patefecit hominibus, ejuſmodi eſſe affirmet, quæ ab ipſâ mundi creatione inviſibilia fuêre. Unde ab hominibus nullâ ratione

tione indagari potuerint. Etenim ipsa materia, quam sibi hoc loco Apostolus tractandam proposuit, indicio est, ea facta, ex quibus invisibilia Dei cognita fuere, de factis quæ sub Evangelio exstiterunt, omnino accipi debere.

Verùm eum locum aliter vulgò interpretantur.

Non me id fugit; verùm ideo fit ab iis, quòd locum aliter legunt, quàm ab Apostolo scriptus sit. Etenim quod Apostolus scripsit, *à creatione mundi*, illi legunt, *ex creatione mundi*. *Deinde* hæc eadem verba, quæ cum prioribus, *invisibilia ipsius*, jungi debent (qualis est conjunctio in loco simili, Matth. 13. 35. *Aperiam in parabolis os meum: pandam abscondita à constitutione mundi*) cum posteriore, *conspiciuntur*, conjungunt.

Cap. II.

In quibus ea via salutis consistat.

PErcepi eam viam nobis à Deo traditam & patefactam. Quæ porrò ea sit, demonstratum velim.

Cognitio Dei & Christi, ut ipse Dominus Jesus testatur. Joan. 17. 3. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

DE

DE COGNITIONE DEI.

CAPUT I.

De Dei essentia.

EXpone igitur mihi quibus in rebus sita sit Dei notitia.

In eorum, quæ ad *Essentiam* ipsius pertinent, & *Voluntatis* ipsius cognitione.

Quænam sunt quæ ad essentiam *ipsius pertinent?*

Ea sunt *duplicia*; *primum* genus est eorum, quæ prorsus ad salutem sunt *necessaria*; *alterum* verò eorum, quæ ad salutem vehementer *conducunt*.

Quænam sunt, quæ ad essentiam *pertinent.*

pertinent, ad salutem prorsus necessaria?

Sunt ea, quòd *Deus sit*; quòd sit *tantùm unus*; quòd *æternus*; quòd *perfectè-justus, perfectè-sapiens*, & *perfectè-potens*.

Quid verò est nôsse quòd Deus sit?

Agnoscere, aut certè firmitèr persuasum habere, eum ex seipso in nos divinum habere imperium.

Quid autem quòd unus tantùm sit?

Agnoscere & certò credere, quòd ipse tantùm sit, qui *ex seipso* divinum in nos habeat imperium.

Quodnam hoc est divinum *in nos* imperium?

Est jus atque potestas summa, de nobis quicquid velit statuendi, etiam in iis, ad quæ nulla vis humana, nec alia quæcunque penetrare potest; ut sunt cogitationes nostræ, etiam in intimis recessibus cordis nostri abditæ, quibus ille pro arbitrio leges ponere, & præmia & pœnas statuere potest.

Quid est quòd ex seipso *imperium habeat?*

Id est, quòd à nemine prorsus illud acceperit.

Quid

Quid est, quòd ipse tantùm ?

Non dixi simpliciter, quòd *solus tantùm* habeat, verùm quòd *à seipso solus tantùm* habeat : nihil enim prohibet, quò minùs id Imperium, eámque Potestatem, quam alius nullus præter eum ex se habeat, cum alio communicare possit : licèt Scriptura asserat, eum *solum esse, qui sit potens aut dominator.* 1 Tim. 6. 15.

Cur igitur ità Scriptura loquitur ?

Propterea, quòd omnis potestas & autoritas, non solùm divina, verùm etiam humana, ejusdem domo, cuivis eam habenti contingat.

Quid est nôsse, quòd Deus sit æternus ?

Id quòd principio & fine careat.

Quid est nôsse quòd Deus summè *sit* justus ?

Hoc, quòd ea sit ipsius natura, rectitudinem & æquitatem tueri.

Quid est nôsse, quòd Deus sit summè *sapiens ?*

Quòd omnia simul non solùm noverit, verùm etiam singula exactissimè

cognita habeat: nec quicquam sit, quod effugere ipsius notitiam possit.

Quid est nôsse, quòd Deus sit summè potens?

Quòd omnia quæ velit facere possit.

Cur hæc omnia nôsse, ad salutem est necessarium?

Propterea, quòd sine horum notitia, in hac salutis viâ persistere ad postremum non possemus.

Doce de his omnibus sigillatim.

Quod attinet ad *primum*, quis non videt, ad salutem esse necessarium, *Credere Deum esse?* quam nisi crederemus *Deum esse*, nè viam quidem hanc ab eo esse traditam, credere possemus. Hinc etiam Autor ad Hebræos ait, *accedentem ad Deum credere oportet, quòd Deus sit.* Heb. 11. 6.

Quomodo secundum *nôsse ad salutem necessarium esse demonstrabis?*

Nisi crederemus *Deum unum tantùm esse*, tum animo distrahi nos oporteret, incertos prorsus quisnam eam viam nobis præscripsisset: propterea, sæpius Scriptura nos admonet ejus rei, *Deum*

unum esse, ut apud Mosen videre est: Deut 6.4. quod etiam ipse Dominus repetit apud Marcum 12.29. *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* & rursus apud Mosen Deut.32.39. Videte quòd *ego solus ipse sum, nec est ullus Deus præter me.* Vide etiam 1 Cor.8.6. 1 Tim.2.5. Eph.4.6. Gal.3.20.

Quî tertium?

Nisi Deum æternum esse crederemus, quî speraremus ab eo vitam æternam, quò nos hæc via ducit?

Quî quartum?

Credere, quòd Deus *summè-justus* sit, ad salutem necessarium esse, hinc patet; *primò*, ut nobis persuasum sit, Deum nobis etiam, quantumvis indignis, præstiturum promissa: *deinde*, ut agnoscamus, tentationes omnes, quas in hanc viam ingressos subire oportet, vacare omni injustitiâ, cùm ex à Deo permittantur.

Quâ ratione quintum, *Deum, nempe esse summè-sapientem nôsse, est ad salutem necessarium?*

Hoc est propterea necessarium nôsse ad salutem, ut nihil dubitemus, etiam cor

nostrum, quo ad perscrutandum nihil est difficilius, illi semper & prorsus perspectum atque cognitum esse, è quo etiam obedientia nostra potissimùm æstimatur.

Quî verò sextum?

Dubitari non potest ad salutem esse necessarium, nósse Deum, esse *summè-potentem*; quî enim sperari posset à Deo, tanquam primo autore, vita æterna, nisi persuasum nobis esset, illius potentiam nullis Terminis finibúsque esse circumscriptam? tum quis tot res adversas, quæ iis omnibus, qui Deum Religione Christianâ colunt, & imminent & usuvenient, perferret, nisi animo infixum haberet, omnia in manu Dei fita esse, nec talia sine ipsius voluntate evenire, neque rem ullam esse seu in Terris, seu in Cœlis, quæ divinam ipsius potestatem, quò minùs implere possit, quæ promisit, & quæ ab eo expectamus, inhibeat.

Exposuisti, quæ cognitu ad salutem de Essentia Dei *sunt prorsus necessaria: expone, quæ ad eam rem vehementer* utilia *censeas.*

Id

Id quidem est, ut cognoscamus *in Essentia Dei unam tantùm personam esse.*

Demonstra hoc ipsum.

Hoc sanè vel hinc patere potest, quòd Essentia Dei sit una numero; quapropter plures numero personæ in ea esse nullo pacto possunt, cùm persona nihil aliud sit, nisi *Essentia individua intelligens.*

Quænam est hæc una persona *divina?*

Est ille deus unus, Domini nostri Jesu Christi pater.

Qui istud planum facis?

Testimoniis scripturæ evidentissimis, quæ sunt: *hæc est vita æterna, ait Jesus, ut cognoscant Te* (Pater) *illum solùm verum Deum.* Joan. 17. 3. Et ad Corinthios Apostolus scribit, *nobis unus Deus* (est) *ille Pater, ex quo omnia.* 1 Cor. 8. 6. & ad Ephesios, *unus est Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus,* Ephes. 4. 6.

Verùm Christiani non solùm Patrem, *verùm etiam* Filium & Spiritum Sanctum *personas esse in unâ Deitate vulgò statu.*

Non me clam est, sed graviter in eo errant, argumenta ejus rei afferentes è Scripturis malè intellectis.

Quænam sunt argumenta, quibus eam rem probare nituntur?

Ea sunt præcipua: *primùm* cùm aïunt in Scripturis non solùm *patrem*, verùm etiam *Filium* & *Spiritum Sanctum* Deum vocari: & quoniam eædem Scripturæ asserant Deum esse unum tantùm, hinc colligunt, hos tres Deum illum unum esse.

Quâ ratione hoc argumentum dissolvi debet?

Prius de Filio, *posteà* de Spiritu sancto responsum feres.

Quid autem de Filio *respondebis?*

Ea vox, *Deus*, *duobus* potissimùm *modis* in Scripturis usurpatur; *prior* est, cùm designat illum, qui in Cœlis & in Terrâ omnibus ità dominatur & præest, ut neminem superiorem agnoscat: ità omnium autor est & principium, ut à nemine dependeat. *Posterior* modus est, cùm eum denotat, qui potestatem aliquam sublimem ab uno illo Deo habet, aut Deitatis unius illius Dei aliquâ ratione

tione particeps est. Etenim in Scripturis propterea Deus ille unus *Deus Deorum* vocatur Psal. 50. 1. Atque eâ quidem posteriore ratione *filius Dei* vocatur *Deus* in quibusdam Scripturæ locis.

Quâ ratione doces filium Dei *hac posteriore significatione in Scripturis vocari* Deum?

Ex ipsius filii Dei verbis: *si* (inquit Idem) *eos vocavit Deos, ad quos Dei sermo factus est, & non potest solvi Scriptura; quem Deus sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quòd dixerim, filius Dei sum.* Joan. 10. 35, 36. his verbis apertissimè indicat Christus, hanc vocem, *Deus*, etiam iis in Scriptura attribui, qui uno illo Deo multò inferiores sunt; tum etiam, quòd nullam aliam ob caussam majorem, seipsum Dei filium, ac proinde Deum asseruerit, nisi quòd à Patre sanctificatus & in mundum missus fuerit.

De Spiritu *autem* sancto *quid respondes?*

Spiritus sanctus nusquam in Scripturis vocatur expresè *Deus*; quia verò quibusdam locis ea attribuit ipsi Scriptura,

quæ Dei sunt, non eò facit, acsi ipse vel *Deus* sit, vel *persona Divinitatis*, sed longè aliam ob caussam, quemadmodum suo loco audies.

Quodnam est secundum *eorum argumentum, quo* tres *illas* personas *in una Deitate approbare nituntur?*

Argumentum *secundum* sumunt ex iis locis, in quibus fit mentio Patris, Filii, & Spiritûs sancti.

Quinam loci illi sunt?

Primus est, in quo Jesus mandat *baptizari* in nomen *Patris* & *Filii* & *Spiritûs*. Matth. 28. 19. *Secundus* est, in quo Apostolus ad eum modum scribit: *discrimina donorum sunt, at idem Spiritus: & discrimina ministeriorum sunt, at idem Dominus: & discrimina operationum sunt, at idem est Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 1 Cor. 12. 4, 5, 6. & inferiùs, ad eum modum loquitur v. 11. *Omnia autem hæc operatur unus & idem Spiritus, distribuens unicuique, prout vult.* *Tertius* est apud Joannem, ubi legimus: *Tres sunt, qui Testantur in Cœlo,* Pater & Verbum & Spiritus

Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. 1 Joan. 5. 7.

Quid verò de his Testimoniis sentiendum est?

Generatim ad ea respondeo, ea Testimonia tantùm docere, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum sanctum* esse; quod nos non solùm agnoscimus, verùm etiam constanter asserimus; ità, ut nè Christianum quidem eum esse posse, qui id ignoret, aut non credat, pronuntiemus: verùm ea Testimonia, quod controversum est, nempe *Patrem*, *Filium* & *Spiritum sanctum esse tres personas in una Essentiâ*, non demonstrare planum est.

Attamen ex ejusmodi in locis citatis conjunctione istorum Trium in operationibus divinis, Tres esse Personas in unâ Essentiâ *divinâ, videtur posse colligi.*

Nullo pacto; nam quod ad primum attinet, etiamsi *Pater*, *Filius & Spiritus sanctus* sint conjuncti in baptismo: effici tamen non potest, eos *personas* esse in una essentia divina. Nam in Scripturis minimè novum est, in aliis rebus, non minùs quàm baptismus di-

vinis, Deo conjungi & personas & res, quæ ad essentiam Dei nullo modo pertinent. De Personis exemplum habes in libro Regum; *& timuit populus omnis Deum vehementer, & Samuelem.* 1 Sam. 12.18. & apud Mosen, ubi juxta Hebraïcam veritatem legitur, *& timuit populus Jehovam, & credidit in Jehova, & in Mose servo ejus.* Exod.14.31. Deinde de Rebus: *Commendo vos Deo & Verbo gratiæ ejus.* Act.20.32. & alibi: *Confortamini in Domino & virtute roboris ejus.* Ephes.6.10.

Veruntamen ipsi statuunt, eum oportere prorsus esse Deum, in cujus nomen baptizamur.

Errant vehementer; nam legimus in Scripturis, *Israëlitas baptizatos fuisse in Mosen.* 1 Cor.10.2. & quosdam discipulos *in baptisma Joannis,* Act.19.3. licèt nec Moses Deus sit, nec baptisma Joannis persona, nedum Deus.

Verùm longè aliud videtur in nomen alicujus baptizari, *aliud verò* in aliquem baptizari.

Neqnaquam; etenim ex vi Idiotismi Hebraïci, idem sæpe *in nomen alicujus* facere,

cere, quod *in aliquem* facere, significare notum est: Etenim quod in quibusdam locis legitur, *fuisse baptizatos in nomine Christi* Act. 2. 38. hoc idem legimus in aliis scriptum simpliciter, fuisse *in Christum baptizatos.* Rom. 6. 3. Gal. 3. 27.

Ad secundum *Testimonium verò quid respondes?*

Id, quod etiamsi divinæ operationes attribuantur Deo, & illi Domino & Spiritui sancto, hinc tamen effici non potest, hos tres unius esse essentiæ: immo hinc contrarium colligitur non obscurè, eos nempe unius esse non posse essentiæ, cùm apertissimè hìc à Deo ille Dominus & Spiritus sanctus distinguantur, quem alium non esse, nisi patrem Domini Jesu, evidenter superiùs docuimus. Quia verò hìc cum Deo, Domini & Spiritûs sancti fit mentio, ideò fit, quòd Dominus sit ille, per quem Deus ista omnia operetur: & Spiritûs itidem sancti, quod de ejusmodi rebus hìc agatur, quæ ad solos credentes pertinent, quas Deus non aliâ

virtute

virtute suâ quam per Spiritum sanctum operetur & efficiat.

Ad tertium *quid respondes?* *Primùm*, cùm notum sit in Græcis exemplaribus vetustioribus, ac in Syriaco, denique in Latinis versionibus antiquioribus, ea verba non haberi, quemadmodum præcipui è nostris adversariis id ostendunt, ex iis nihil certi effici potest. *Deinde*, etiamsi in Scripturis haberentur, ex iis tamen concludi non posset *tres personas esse in una divinitate.* Nam is locus nullâ aliâ de re agit, quàm de testimonio ejusmodi; Jesum nempe esse Dei filium: hoc autem perhiberi posse etiam ab iis, qui personæ non sunt, sequentia verba apud Joannem indicant: *Tres sunt qui Testantur supra Terram, Spiritus, Aqua & Sanguis.* 1 Joan. 5. 8. quia verò ait, *unum esse*, eos unum *Testimonio*, non autem *essentiâ* dici in sequenti versiculo eadem prorsus verba addita, indicio sunt.

E superiore oratione unam *esse in Deitate* personam *perspicio: jam igitur cognoscere velim, quâ hujus rei notitia*

notitia ad salutem est admodum utilis?

id facilè cognoscès, si quàm sit adversæ partis pernitiosa opinio, deprehenderis. Etenim ista opinio *primùm unius* Dei fidem facilè convellere & labefactare potest; idque dum unum Deum modò fatetur, modò tres personas, quarum unaquæque Deus sit, prædicat. *Secundò* gloriam unius Dei, qui tantùm pater Christi est, obscurat, dum eam ad alium, qui pater non sit, transfert. *Tertiò* viam salutis facilè potest pariter subvertere, dum inter primam & secundam salutis Causam discrimen tollit; & quis sit primus nostræ salutis Autor, & quemadmodum eandem Deus per Christum & Spiritum sanctum operetur, rectè agnoscere non permittit. *Denique* alienis à Religione Christianâ magno est ad eam amplectendam impedimento, dum ea quæ veritati divinæ & rationi sanæ adversa sunt, tradit: quibus omnibus incommodis vacat ea sententia, quæ *unam* tantùm *personam* in divinis asserit.

Caput

Caput II.

De Voluntate Dei.

EXpoſuiſti mihi quæ pertinent ad eſſentiam Dei: quæ ſpectant ad ejus voluntatem *expone.*

Ea quæ ad voluntatem *Dei pertinent*, quædam ſunt ejuſmodi, quorum omnes *in univerſum* homines participes exiſtunt, & exſtitere ſemper; quædam verò ad eos *propriè* ſpectant, qui vitam æternam conſecuturi ſunt.

Quæ verò ea ſunt, quorum in univerſum *homines participes ſemper exſtitere?*

Sunt numero *tria*; *primùm*, creatio cœli & terræ, & omnium quæ iis ſunt comprehenſa: *deinde*, cura & providentia de ſingulis hominibus: *poſtremò*, remuneratio eorum, qui ipſum quærunt, hoc eſt, eidem parent. 1 Tim. 4. 10. Matth. 10. 30. Heb. 11. 6.

Cur verò neceſſe eſt ut de Deo credatur,

tur, quòd cœlum & terram condiderit?

Duæ potiſſimùm *cauſſæ* ejus rei deprehendi poſſunt: *una*, quòd Deus velit ut id credamus: quapropter in Scripturis & ipſe Deus & ejus Miniſtri, tam ſæpe & perſpicuè ejus rei admonent; ut inter alia teſtimonia habes apud Eſaiam 44.24. *Ego Jehova faciens omnia, expandens cœlos & extendens terram virtute meâ.* & apud Moſen Gen.1.1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* & Davidem Pſal.33.6,7,8,9. *Verbo Domini cœli facti ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum, colligens, tanquam in ſitulam, aquas maris, componens, velut in theſaurum, abyſſos: metuat igitur Jehovam orbis terræ, hunc reformident omnes habitatores mundi; nam ipſe dixit, & factum eſt; ipſe juſſit, & exſtitit.* & in Act.4.24. *Domine, tu es, qui feciſti cœlum & terram, & maria, & omnia quæ in eis.* & ibidem 14.15. *Annuntiamus vobis, ut ab iſtis vanis convertamini ad Deum viventem, qui fecit terram, & cœlum, & maria, & omnia quæ in eis:* & ibidem 17.24. *Deus, qui mundum & omnia quæ in eo condidit, is Dominus cœli*

&

& terræ existens, non habitat in templis manufactis : Altera causſa eſt, cur id credendum ſit de Deo, quòd *cælum & terram creârit*, quod niſi certò id nobis perſuaſum eſſet, nullam cauſſam haberemus credendi, Deum ſingulorum hominum curam habere : atque eâ ratione animum ad ei obediendum nunquam induceremus.

Ex hac tuâ reſponſione perſpicio, nihil eſse, cur rogem, quamobrem Deus ſingulorum hominum *curam habeat, & obtemperantes remuneretur : quare, expone mihi, quænam ſunt, quæ ad* voluntatem *Dei pertinent, quæ ad eos* propriè *ſpectant, qui vitam æternam conſequentur.*

Sunt ea, quæ Deus per Jeſum Chriſtum nobis patefecit.

DE Cognitione Christi: & primùm de ESSENTIA IPSIUS.

CAPUT I.

De Persona Christi.

QUoniam ea per Jesum Christum patefacta esse dixisti, quæ ad voluntatem *Dei spectant, & ad eos* propriè *pertinent, qui vitam illam immortalem assecuturi sunt, rogatum te velim, ut mihi ea de* Jesu Christo *exponas, quæ me scire oporteat.*

Bene:

Bene: sciendum itaque tibi est, quædam ad *essentiam* Jesu Christi, quædam ad illius *munus* referri, quæ te scire oportet.

Quænam ea sunt, quæ ad personam *ipsius referuntur?*

Id solum, quòd naturâ sit *homo verus*, quemadmodum eâ de re crebrò Scripturæ sacræ testantur: inter alias 1 Tim. 2.5. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* & 1 Cor. 15.21. *Quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*; qualem olim Deus per Prophetas promiserat, & qualem etiam esse testatur fidei symbolum, quod vulgò Apostolicum vocant, quod nobiscum universi Christiani amplectuntur.

Ergò Dominus Jesus est purus homo?

Nullo pacto: etenim est conceptus è Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, eóque ab ipsa conceptione & ortu filius Dei est, ut ea de re Luc. 1.35. legimus, ubi Angelus Mariam ità alloquitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideóque quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Ut alias

alias causas non afferam, quas postmodum in Jesu Christi persona deprehendes, quæ evidentissimè ostendunt, dominum Jesum pro *puro homine* reputari nullo modo posse.

Dixeras paulò superiùs, Dominum Jesum naturâ esse hominem; *an idem habet* naturam divinam?

Nequaquam: nam id non solùm *rationi sanæ*, verùm etiam *Divinis literis* repugnat.

Cedò, quâ rationi sanæ repugnat?

Primò, adeum modum, quòd duæ substantiæ proprietatibus adversæ coïre in unam personam nequeant, ut sunt mortalem & immortalem esse: principium habere, & principio carere: mutabilem & immutabilem existere: *deinde*, quòd duæ naturæ personam singulæ constituentes in unam personam convenire itidem nequeant; nam loco unius duas personas esse oporteret, atque ità duos Christos existere, quem unum esse, & unam ipsius personam omnes citra omnem controversiam agnoscunt.

Cùm verò illi ostendunt, Christum

sic

sic naturâ divinâ & humanâ constare, quemadmodum homo ex anima & corpore constet, quid illis respondendum?

Permagnum hìc esse discrimen: illi enim aïunt, duas naturas in Christo ità unitas esse ut Christus sit Deus & homo; anima verò & corpus ad eum modum in homine conjuncta sunt, ut nec anima nec corpus ipse homo sit, nec enim anima, nec corpus sigillatim personam constituunt. At ut natura divina per se constituit personam, ità humana constituat per se, necesse est.

Doce etiam, qui id repugnet Scripturæ, *Christum habere* divinam naturam?

Primùm, eâ ratione, quòd scriptura nobis unum tantùm naturâ Deum proponat, quem superiùs demonstravimus esse Christi patrem. *Secundò*, eadem scriptura testatur Jesum Christum naturâ esse hominem, ut superiùs ostensum est; quo ipso illi naturam adimit divinam. *Tertiò*, quòd quicquid divinum Christus habeat, scriptura eum patris dono habere apertè doceat, Matth. 28. 18. Phil. 2. 9.

2.9. 1 Cor. 15.27. Joan 5.19. 10. 25. *Denique*, cùm eadem scriptura apertissimè ostendat, Jesum Christum omnia sua facta divina non sibi, nec alicui naturæ divinæ suæ; sed patri suo vindicare solitum fuisse, planum facit, eam divinam in Christo naturam prorsus otiosum, ac sine omni caussâ futuram fuisse.

Atqui illi è scripturis illam divinam in Christo naturam asserere conantur?

Conantur quidem variis modis; idque dum student, aut è scripturis quibusdam evincere, quæ in iis non habentur, aut dum ex iis, quæ in scripturis habentur, perperam ratiocinantur, ac malè rem suam conficiunt.

Quæ verò sunt illa, quæ illi de Christo è scripturis evincere laborant quæ illic non habentur?

Est illius, ut loquuntur, *præ-æternitas*, quam duplici scripturarum genere approbare nituntur. *Primum* ejusmodi est, in quo prææternitatem hanc expressam putant. *Secundum*, in quo licet expressa non sit, eam tamen colligi arbitrantur.

Quæ-

Quænam sunt Testimonia scripturæ, quæ videntur ipsis eam præ-æternitatem *exprimere?*

Sunt ea in quibus scriptura testatur de Christo, ipsum *fuisse in principio, fuisse in cœlo, fuisse ante Abrahamum,* Jo. 1. 1. Jo. 6. 62. Jo. 8. 58.

Quid verò ad primum *respondes?*

In loco citato nihil habetur, de ista *præeternitate,* cùm hìc *principii* mentio fiat, quod præ-æternitati opponitur. *Principii* verò vox in scripturis ferè semper ad subjectam refertur materiam, ut videre est. Dan. 8. 1. Jo. 15. 27. 16. 4. Act. 11. 15. cùm igitur hic subjecta sit materia Evangelium, cujus descriptionem suscepit Joannes, fine dubio per vocem hanc *principii,* principium Evangelii Joannes intellexit.

Ad secundum *autem quid respondes?*

Neque hic ullam *præ-æternitatis* mentionem factam expressè; nam hoc in loco filium hominis, id est, hominem in cœlis fuisse testatur scriptura, quem citra ullam controversiam *præ-æternum* non exstitisse certum est.

At

At verò quid ad tertium?

In hoc loco non solùm non exprimitur *præ-æternitas* Christi, cùm aliud sit, *ante Abrahamum fuisse*, aliud *præ-æternum*; verùm nè hoc quidem expressum est, ipsum ante Mariam virginem fuisse. Etenim ea verba aliter legi posse (nimirum hac ratione, *Amen, Amen dico vobis, priùs quàm Abraham fiat, ego sum.*) apparet ex iis locis apud eundem Evangelistam, ubi similis & eadem locutio græca habetur, cap. 13. 19. *à modò dico vobis, priusquam fiat, ut cùm factum fuerit, credatis.* Et cap. 14. 29. *& nunc dixi vobis priusquam fiat, ut, cùm factum fuerit, credatis.*

Quæ verò ejus sententia foret lectionis?

Admodum egregia: etenim admonet Christus Judæos, qui eum in sermone capere volebant, ut dum tempus haberent, crederent ipsum esse mundi lucem, antequam divina gratia, quam Christus iis offerebat, ab iis tolleretur, & ad Gentes transferretur. Quod verò ea verba, *ego sum*, sint ad eum modum supplenda, ac si ipse subjecisset iis, *ego sum lux*

lux mundi, superiùs è principio ejus orationis v. 12. & hinc, quòd Christus bis seipsum iisdem verbis, *ego sum*, lucem mundi vocaverit, v. 24. 28. ea verò verba, *priusquam Abraham fiat*, id significare quod diximus, è notatione nominis Abraham deprehendi potest, constat inter omes Abrahamum notare patrem multarum gentium. Cùm verò Abram non sit factus priùs Abraham, quàm dei gratia in Christo manifestata in multas gentes redundaret, quippe quod Abrahamus unius tantùm gentis antea pater fuerit, apparet sententiam horum verborum, quam attulimus, esse ipsissimam.

Quæ verò sunt Testimonia scripturæ, in quibus putant, non exprimi quidem præ-æternitatem *Christi, ex iis tamen effici posse?*

Ea quæ videntur Domino Jesu quasdam res attribuere, *ab æterno*; quasdam verò *tempore certo & definito.*

Quænam sunt Testamonia, quæ domino Jesu ab æterno *res quasdam attribuere videntur?*

Sunt ea, ex quibus conantur exstruere Christum

Christum *ab æterno* ex essentia Patris genitum.

Ex quibus verò locis exstruere conantur, Christum ab æterno ex essentia Patris genitum?

Ex his potissimùm: Mich. 5. 2. & *tu Bethlehem Ephrata, minima es ex millibus Juda: ex te mihi egredietur dux, qui pascet populũ meũ Israël, & egressiones ejus ab initio & à diebus seculi*; & Psal. 2. 7. *tu es filius meus, ego hodie genui te.* & Psal. 110. 10. ubi secundùm vulgatam legitur: *ex utero ante Luciferum genui te*, & Prov. 8. 23. ubi sapientia ait de se, *ab æterno genita sum.*

Quî verò ad hæc Testimonia respondendum est?

Antequam ad singula Testimonia respondeam, sciendum est, eam ex essentia Patris generationem esse impossibilem: nam si Christus ex essentia Patris genitus fuisset, aut *partem* essentiæ sumpsisset, aut *totam*. Essentiæ *partem* sumere non potuit, eò quòd sit impartibilis divina essentia; neque *totam*, cùm sit una numero, ac proinde incommunicabilis.

Quî tamen ad primum scripturæ Testimonium respondendum est?

Id Testimoniũ de generatione ex essentia Patris nihil prorsus habet; generationem verò præ-æternam nullâ probat ratione; hic enim mentio fit *initii & dierum*, quæ in æternitate locum non habent, & verba hæc, quæ in vulgata leguntur, *à diebus æternitatis*, in Hebræo exstant, *à diebus seculi*: *dies* verò *seculi* idem quod *dies antiqui* notant, ut Es. 63. 9. & 11. Mal. 3. 4. sententia verò loci ... ius est, Christum originem nativitatis suæ ab ipso principio & annis antiquis ducturum, id est, ab eo Tempore, quo deus in populo suo regem stabilivit, quod reipsa in Davide factum est, qui & Bethlehemita fuit & Autor stirpis & familiæ Christi.

Ad secundum *verò quid?*

Neque in eo de generatione ex essentia Patris, nec de generatione præ-æterna prorsus quicquam haberi; etenim vox *bodie*, cùm certum tempus designet, prææternitatem denotare non potest: Quod v. Deus *eum genuerit*, non evincit eum ex essentia ejus genitum: id quod patet ex

eo,

eo, quòd hæc eadem verba, *Ego hodie genui te*, primo sensu de Davide dicantur, quem constat neque ab æterno, nec ex essentia Dei genitum. *Deinde*, quòd Paulus Apostolus eadem verba ad approbandam Christi resurrectionem asserat. Act. 13.33. & Autor ad Hebræos ad glorificationem Domini Jesu citet, Heb. 1.5. & 5.5. *Denique*, ex ea re, quòd constet Deum aliter quàm ex essentia generare, dum *à Deo genitos* credentes scriptura pronunciat, ut videre est, Jo. 1.13. & 1 Jo. 3.9. & Jac. 1.18.

Quid verò ad tertium?

Sciendum est in vulgata & græca versione, eum locum malè esse redditum, in Hebræo enim aliter legitur; nempe, *ab utero ante auroram tibi ros nativitatis tuæ*: in quibus verbis vaticinatur David de multitudine populi Christiani instar roris matutini multiplicandi.

Ad quartum *verò quid?*

Ut rem meliùs accipias, scito eos ex hoc loco, ad eum modum argumentari: Sapientia Dei ab æterno est genita: Christus est Dei sapientia: ergò ab æterno est genitus: 1 Cor. 1.24. Id ar-

gumentum firmum non esse hinc patet; *primùm*, quod Solomon agat de sapientia simpliciter & absolutè considerata, sine additione vocis *Dei*: Paulus v. non simpliciter & absolutè; sed cum additione, nempe, *Dei*. *Deinde*, Solomon agit de sapientia, quæ neque est *persona*, nec esse potest, ut è variis effectis, quæ huic sapientiæ attribuit, apparet, & hoc 7, 8 & 9 capp. ex quibus sunt ea, *Per me Reges regnant, & Principes justa decernunt*: & initio cap. 9. introducit sapientiam omnes ad se invitantem, & mittentem virgines suas. Paulus v. agit de sapientia, quæ persona est. *Tertio*, verba hæc, quæ sunt reddita, *ab æterno*, in Hebræo extant, *à seculo*: aliud v. esse ab æterno, aliud à seculo, indicant loci Is. 64. 4. Jer. 2. 20. Luc. 1. 70. & alii permulti similes.

Quænam sunt ea loca Scripturæ quæ videntur Christo quædam tempore certo & definito attribuere?

Ea sunt *duplicia*; quorum alia *nomina*, alia *facta* respiciunt, quæ Christo à Scriptura attribui opinantur.

Quæ-

Quænam sunt quæ Christi nomina *respiciunt?*

Ea, ubi illi arbitrantur Jesum à Scriptura, vocari *Jehovam: Dominum exercituum Deum verum: solum Verum: Deum magnum: Dominum Deum omnipotentem: qui fuit, qui est, & qui venturus est: Deum, qui acquisivit proprio sanguine Ecclesiam: Deum, qui animam posuit pro nobis.* Jer. 23. 6. Zach. 2. 8. 1 Joan. 5. 20. Jud. 4. Tit. 2. 13. Apoc. 1. 8. 4. 8. Act. 20. 28. 1 Joan. 3. 16.

Quid verò tu ad ea ordine respondes, ac ante omnia ad primum?

Primùm, quòd ex eo confici non possit necessariò nomen *Jehovæ* Christo attribui. Ea enim verba: *Et hoc est nomen ejus, quo vocabunt eum, Jehova justitia nostra*, referri possunt ad Israëlem, de quo paulò superiùs eodem versu loquitur: *In diebus ejus servabitur Juda, & Israël habitabit securè, & hoc est nomen ejus, &c.* ut è loco simili perspici potest apud eundem prophetam, cap. 33. v. 15, 16. ubi ait *in diebus illis, & in illo tempore faciam, ut existat Davidi surculus justitiæ, & faciet judicium & justitiam in*

terra. In diebus illis servabitur Juda, & Jerusalem habitabit securè & hoc (supple *nomen*) *quo vocabunt eam, Jehova justitia nostra.* Etenim in Hebræo expressè legitur *vocabunt eam*, quam vocem posteriorem ad Hierusalem referri prorsus est necesse; & hoc quidem loco Israëli, qui in priori loco positus est, respondet. Videtur igitur prorsus verisimile, quòd in priori etiam loco, hæc verba, *vocabunt eum*, ad Israëlem referantur. Ac licèt concedamus, nomen Jehovæ ad Christum posse referri, ex altero tamen Testimonio apparet asseri non posse, Jehovam simpliciter Christum vocari: neque ex eo sequi, Christum reipsâ esse Jehovam; sive igitur de Christo, sive de Israële postrema verba in Testimonio Hieremiæ accipiantur, sententia ipsorum est, tum Jehovam unum Deum nostrum nos justificaturum. Etenim illo tempore, cùm Christus appariturus esset, Deus id in Israële facturus erat.

Ad secundum *verò quid respondes?*

Locum Zachariæ ad eum modum citant:

tant: *hoc dicit Dominus Exercituum; Post gloriam misit me ad gentes, quæ vos spoliârunt: qui enim vos tangit, tangit pupillam oculi mei, &c.* Quæ ad Christum torquent, quod hic, ut arbitrantur, dicatur, Dominum exercituum missum esse à Domino exercituum. Verùm ea hic non habentur; quòd hinc perspicuum est, quòd ea verba, *post gloriam misit me, &c.* sunt ab alio prolata, nempe ab Angelo, qui cum Zacharia & alio Angelo colloquebatur, ut idem eodem capite paulò antè planum est, à versu quarto initio facto, ubi is Angelus loquens introducitur. Quod idem ea ex re videre est, quòd ea quæ citant verba, *hoc dicit dominus exercituum*, in Hebræo legantur, *sic dicit dominus exercituum*; item illa, *tangit pupillam oculi mei*, legantur *pupillam oculi ejus*, quæ non ad Dominum exercituum, sed ad legatum referri necesse est.

Quid respondes ad tertium? In hoc testimonio, *scimus filium dei venisse & dedisse nobis sensum, ut agnoscamus illum verum deum, & sumus in illo vero, in filio ejus Iesu Christo. Hic est verus deus &*

vita æterna, Hæc verba, *hic est verus deus*, nego referri ad dei filium; non quòd negem Christum esse verum Deum; sed quòd is locus ea de Christo accipi non admittat. Etenim hic agitur non solùm de *vero Deo*; sed de illo *uno vero Deo*, ut articulus in Græco additus indicat. Christus verò etsi verus *Deus* sit, non est tamen ille *ex se* unus *Deus*, qui per se & perfectissimâ ratione *Deus* est, cùm is Deus tantùm sit Pater. Nec verò quicquam juvat adversarios, qui propterea hæc ad Christum referri volunt, quòd verba, *Hic est verus Deus*, & Christi mentio proximè antecesserit. Etenim pronomina relativa, ut *hic* & similia, non semper ad proximè antecedentia, verùm sæpenumero ad id, de quo potissimùm sermo est, referuntur, ut patet ex his locis, Act. 7. 19, 20. *Donec exortus esset Rex, qui non noverat Josephum. Is circumveniens gentem nostram, &c.* Et Act. 10. 6. *Is habet diversorium apud Simonem Coriarium, qui domum habet supra mare: is dicet tibi quid te agere oportet.* Et 2 Joan. 7. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Je-*

sum

sum Christum in carne venientem. Is est seductior, & ille Antichristus : è quibus locis apparet pronomen relativum *hic* non ad proximè præcedentes personas, sed ad remotiores referri.

Ad quartum *testimonium quid respondes ?*

Quartum testimonium sic habet : *Solum herum & Dominum Jesum Christum negantes* ; è quo testimonio, cùm in Græco articulus unus duntaxat præfixus sit, id evincere conantur, pro more Græci sermonis, ad unam personam, ac proinde ad Christum ea verba debere referri. Verùm tenendum est, eam apud Græcos regulam non esse perpetuam ; ubi verò locus illi non fit, id è rei circumstantiâ deprehendi. Non esse verò eam regulam perpetuam testimonia ipsius Novi Fœderis demonstrant ; ut illud ubi scriptum est : *Ejecit omnes vendentes & ementes*, Mat. 21. 12. ubi in Græco est unus tantùm articulus præfixus iis vocibus, *ementes & vendentes* ; quibus similia habes Marc. 11. 15. Luc. 19. 45. Ac propterea locus Ephes. 5. 5. apertè indicat eam regulam non esse perpetuam.

Ad quintum *quid respondes?*

Quintum testimonium est: *Exspectantes illam beatam spem, & apparitionem gloriæ Magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi.* Quo in loco epitheton *Magni Dei* ad Christum referri *duabus* rationibus evincere conantur: *Prior* est, superiùs de articulo uno præfixa regula. *Posterior*, quòd adventum non exspectemus Patris, sed Filii. Verùm ad *primum* argumentum responsum habes in responsione ad *quartum* testimonium. Ad *alterum* respondeo, Paulum non dicere, *Exspectantes adventum Magni Dei*, verùm dicere, *Exspectantes apparitionem gloriæ Magni Dei.* Posse verò dici gloriam Dei Patris illustratam iri, cùm Christus ad judicium venerit, verba Christi ostendunt, cùm ait quòd *venturus sit in gloria*, id est, cum gloria Dei Patris sui. Matth. 16. 27. Marc. 8 38. *Præterea*, quod est inconveniens si dicatur Deus Pater venturus (prout illi è vulgata citant) cùm filius ad mundum judicandum venerit? An Christus Dei Patris personam, in judicio mundi, tanquam ejus, à quo munus

judicandi

judicandi accepit, non sustinebit?

Quid ad Sextum *respondes?*

Sextum testimonium est: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Eum verò locum propterea ad Christum referunt, quòd arbitrentur neminem venturum, nisi Christum. Is enim venturus est ad judicandum vivos & mortuos. Verùm tenendum est, eam vocem quam illi reddidere, *venturus est*, reddi æquè posse, *futurus est*, ut Joan. 16. 13. ubi Dominus ait de *Spiritu*, quem Apostolis promittebat, quòd *illis esset futura annunciaturus*; & Act. 18. 21. ubi legimus *diem festum futurum*: in quibus locis duobus, vox Græca est ἐρχόμενον. *Deinde*, quis est qui nesciat, cùm priùs dictum sit, *qui erat, & qui est*, & posterius hoc quod additum est, per *futurum esse* reddi debere, ut ubique de existentia ea oratio accipiatur; & non in prioribus duobus membris de existentia, in postremo de adventu. Nec est quisquam qui non animadvertat, hic describi æternitatem Dei, quæ tempus præteritum, præsens & futurum comprehendit.

prehendit. Sed quod crassum errorem hunc detegit, est quod Apoc. 1 cap ver. 4 & 5 legimus: *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui futurus est, & à septem spiritibus, qui sunt ante faciem throni ejus, & à Jesu Christo, qui est testis fidelis.* E quo testimonio apparet, Jesum Christum ab eo, *qui est, qui erat, & qui futurus est*, vel, ut illi credunt, *venturus*, esse longè alium.

Quid ad septimum *respondes?* *Septimum* est, quod ità legimus: *Attendite vobis ipsis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit per proprium sanguinem.* Respondeo, nomen *Dei* hoc loco non referri ad Christum necessariò, sed ad ipsum Deum Patrem referri posse, cujus Apostolus, eum sanguinem, quem Christus fudit, sanguinem vocat, eo genere loquendi, & eam ob caussam, quo genere loquendi, & quam ob caussam Propheta ait, *eum qui tangat populum Dei, tangere pupillam oculi Dei ipsius.* Etenim summa, quæ est inter Deum Patrem & Christum conjunctio, etsi essentiâ sint prorsus diversi,

si, in caussa est, cur Christi sanguis, sanguis ipsius Dei Patris dicatur: præsertim si quis expendat, quatenus is est pro nobis fusus. Etenim Christus est *agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Unde sanguis in eum finem fusus, ipsius Dei sanguis jure vocari potest. Nec verò prætereundum est silentio, quòd in editione Syriaca loco *Dei* legatur *Christi.*

Ad octavum *verò?*

Octavum ità habet: *In eo cognovimus charitatem Dei, quòd is animam suam posuit pro nobis. Primùm* igitur sic habeto; neque in Græca editione ullâ, (exceptâ Complutensi) nec in editione Syriacâ, vocem *Deus* haberi. Verùm etiamsi hæc vox haberetur in omnibus exemplaribus, num idcirco ea vox *ille*, ad *Deum* erit referenda? Non certè: non solùm ob eam caussam, quam paullò superiùs attulimus, in responsione ad testimonium *tertium*; quòd verba ejusmodi non semper ad propinquiores personas referantur: verùm etiam quòd ἐκεῖνος vocem Græcam Joannes in hac epistola sæpe ad eum refert, qui longè antea nominatus fuerat, ut & *tertio, quinto*, &

septimo

septimo versu ejusdem capitis in Græco apparet, ubi inquit, *Et qui habet hanc spem in eo, sanctificat seipsum, sicut & ipse* (*Christus* nempe) *sanctus est*: Et, *Nôstis, quia ipse* (*Christus* nimirum) *apparuit, ut peccata nostra tolleret*: Et, *Qui facit justitiam justus est, quemadmodum ipse* (*Christus*) *justus est.*

Satisfeciſti mihi quoad nomina *Jesu Christi: exponi mihi velim testimonia, quæ* facta *& operationes respiciant, quas Adversarii Christi à Scriptura attribui opinantur.*

Ea sunt, in quibus illi existimant à Scriptura eidem attribui, quòd *cœlum & terram creârit*: quòd *res omnes creatas conservet*: quòd *eduxerit populum Israël ex Ægypto*: quòd *cum eo existens in deserto, eum deduxerit, eiq; benefecerit*: quòd *ab Esaia gloria ipsius visa fuerit*: quòd *incarnatus fuerit.*

Expone igitur mihi, quibus testimoniis approbare contendunt, Christum cœlum & terram creâsse.

His, ubi scriptum exstat, quòd *per eum omnia facta sint, & sine eo factum sit nihil, quod factum sit* Joan. 1. 3. Et iterum,

Mundus

Mundus per ipsum factus est ver. 10. Et rursus, quòd *in eo omnia sint condita, & ea quæ in cœlis, & ea quæ in terris, & visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum & in ipsum creata sunt* Col. 1. 16. Et, Quòd *Deus per eum secula fecerit* Heb. 1. 2. Denique & ex eo, *Tu in principio, Domine, terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, ut autem permanes, & omnes ut vestimentum veteraſcent, & velut amictum mutabis eos & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Heb. 1. 10, 11, 12.

Quî verò ad primum *testimonium respondes?*

Primùm; non habetur in *primo* testimonio *creata sunt*, verùm *facta sunt*. *Deinde*, ait Joannes, *facta esse per eum*; qui modus loquendi, non eum, qui *prima* causſa fit alicujus rei, verùm causſam *secundam* aut *mediam* exprimit. *Denique*, vox *omnia* non pro omnibus prorsus rebus hìc sumitur, sed ad subjectam materiam restringitur omnino, quòd frequentissimum est in libris Divinis, præsertim Novi Testamenti, cujus rei exemplum

emplum singulare exstat 2 Cor. 5. 17, in quo habetur sermo de re, huic de qua Joannes tractat, admodum simili, ubi dicitur, *Omnia nova facta esse*; cùm certum sit multa existare, quæ nova facta non sunt. Cùm verò subjecta apud Joannem materia sit *Euangelium*, apparet vocem *omnia*, de iis omnibus, quæ quoquo modo ad Evangelium pertinent, accipi debere.

Cur verò addidit Joannes, quòd sine eo factum est nihil, quod factum est?

Addidit hæc Joannes, ut eò meliùs illustraret illa superiora, *Omnia per ipsum facta sunt*, quæ eam vim habere videntur, per solum Verbum vel Filium Dei omnia illa facta esse, licèt ejus generis quædam, & quidem magni momenti, non per ipsum, verùm per Apostolos facta fuerint: ut est vocatio gentium, & legalium cerimoniarum abolitio; licèt enim hæc originem ab ipsis sermonibus & operibus Domini Jesu traxerint, ad effectum tamen non sunt perducta per ipsum Christum, sed per ipsius Apostolos, non tamen sine ipso. Apostoli enim

enim omnia nomine & autoritate ipsius administrárunt, ut etiam ipse Dominus ait, *Sine me nihil facere potestis.* Joan. 15. 5.

Quid verò respondes ad secundum?

Primùm, quòd hic non scribat Joannes, *mundum esse creatum*, sed *factum*. *Deinde*, eodem loquendi modo utitur, qui *mediam* caussam designat, ait enim *mundum per eum factum*. *Denique*, hæc vox *mundus*, quemadmodum & aliæ, quæ prorsus idem in Scripturis valent, non solùm cœlum & terram denotat, verùm præter alias significationes, vel *genus humanum* designat, ut locus præsens ostendit, ubi ait, *In mundo erat, & mundus eum non agnovit* 1 Joan. 1. 10. Et, *mundus eum sequutus est* Joan. 12. 19. aut etiam *futuram immortalitatem*, ut apparet Heb. 1. 6. ubi ait, *Et cùm iterum introducit primogenitum in mundum, ait: & adorent eum omnes Angeli Dei*, quod de *futuro mundo* accipi apparet è cap. 2. ejusdem epistolæ, ubi ait, *Etenim non Angelis subjecit mundum futurum, de quo loquimur.* At nusquam de eo locutus fuerat,

nisi

nisi versu 6. cap. 1. *Præterea*, habet locum cap. 10. ver. 5. ubi de Christo loquens ait: *Propterea ingrediens in mundum ait; hostiam & oblationem noluisti, verùm corpus aptâsti mihi*; ubi cùm palàm sit eum loqui de mundo, in quem ingressus Jesus, sacerdos noster factus est, (ut circumstantiæ omnes demonstrant) apparet, non de *præsenti*, sed de *futuro mundo* agi, quandoquidem cap. 8. ver. 4. de Christo dixerat, *Si in terris esset, nè Sacerdos quidem esset.*

Quid verò per hæc, Mundus per eum factus est, *intelligis?* *Duplex* eorum sensus dari potest: *Prior*, quòd genus humanum per Christum reformatum, & quasi denuò factum sit, eò quòd ille generi humano quod perierat, & æternæ morti subjectum erat, vitam attulit, eámque sempiternam (quod etiam mundo Joannes exprobrat, qui per Christum ab interitu vindicatus, eum non agnoverit, sed spreverit & rejecerit) Is enim mos Hebraici sermonis, quòd in ejusmodi loquendi modis, verba *facere*, *creare*, idem valeant, quòd *denuò facere* & *denuò creare*,

are, idque propterea, quòd verbis, quæ *composita* vocant, ea lingua careat. *Posterior* verò sensus est, quòd illa immortalitas, quam exspectamus, per Christum, *quantùm ad nos*, facta sit: quemadmodum eadem *futurum seculum*, habitâ ratione *nostri*, vocatur, licèt jam Christo & Angelis sit præsens.

Quid ad tertium?

Præter id, quòd & hoc testimonium loquatur de Christo, tanquam *mediâ* & *secundâ* causâ, verbum *creata sunt*, non solùm de vetere, verùm etiam de nova creatione in Scriptura usurpari constat: cujus rei exempla habes Ephes. 2. 10. *Ipsius factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Et paullò inferiùs versu 15. *Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem.* Et Jacob. 1. ver. 18. *Voluntariè nos genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquod ejus creaturæ.* Præterea, ea verba, *omnia in cœlis & in terra*, non usurpari pro omnibus prorsus, apparet non solùm ex verbis paullò inferiùs subjectis v. 20. ubi Apostolus ait, quòd *per eum reconciliata sint omnia in cœlis & in terra*, verùm etiam ex iis ipsis verbis, in

in quibus Apostolus non ait, *cœlum & terram creata esse*, verùm *ea omnia quæ in cœlis & in terrâ sunt.*

Quî verò istud testimonium intelligis?

Ad eum modum, quò per Christum omnia, quæ sunt in cœlis & in terra, postquam eum Deus à mortuis excitavit, reformata sunt, & in alium statum & conditionem translata; id verò cùm Deus & Angelis & hominibus Christum caput dederit, qui antea tantùm Deum solum pro domino agnoverunt.

Quî respondes ad quartum *testimonium?*

Eo pacto, quòd hic palàm scriptum sit, non, *Christum fecisse*, sed, *Deum per Christum fecisse secula.* Vocem verò *Secula* non solùm præsentia & præterita, verùm etiam futura significare posse, in confesso est. Hic verò de *futuris* agi id demonstrat, quòd idem autor affirmet, *per eum, quem hæredem universorum constituerit Deus, etiam secula esse condita.* Nam Jesus Nazarenus non priùs constitutus hæres universorum fuit, quàm eum

Deus

Deus à mortuis excitavit. Quod hinc patet, quòd tum demum omnis potestas in cœlo & in terra eidem data à Deo patre fuerit, cujus potestatis donatione, & non aliâ re, ista universorum hæreditas continetur.

Ad quintum quid respondes?

Ad id testimonium id respondeo, quòd non de Christo, verùm de Deo accipiendum sit. Quia verò idem scriptor illud ad filium Dei referat, expendendum est sermonem in testimonio, non de *una* re sed de *duabus* potissimùm haberi expressé: *una* est cœli & terræ creatio; *altera* rerum creatarum abolitio. Quòd verò is autor *priorem* ad Christum non referat, hinc perspicuum est, quòd in eo capite præstantiam Christi demonstrare sibi proposuerit; non eam, quam à seipso habeat, verùm eam, quam hæreditavit, & quâ præstantior angelis effectus sit, ut è ver. 4. cuivis planum est: cujus generis præstantia cùm creatio cœli & terræ non sit, nec esse possit, apparet manifestè, non in eum finem testimonium

ab eò scriptore allatum, ut Christum creâsse cœlum & terram probaret. Cùm igitur *prior* ad Christum referri nequeat, apparet *posteriorem* tantùm ad eum referendum esse; id verò propterea, quòd Deus cœlum & terram per eum abolituru sit, tum cùm judicium extremum per ipsum est executurus. Quo quidem tantopere præstantia Christi præ angelis cõspicua futura est, ut ipsi angeli sint ei eâ ipsâ in re ministraturi. Quæ posterior oratio, cùm sine verbis superioribus, in quibus fit cœli terræque mentio, intelligi non potuerit, cùm sit cum iis per vocem *ipsi* conjuncta, & eadem illa verba priora idem autor commemorare necesse habuit. Nam si alii scriptores sacri ad eum modum citant testimonia scripturæ, nullâ adacti necessitate; multò magis hinc, necessitate compulso, id faciendum fuit.

Ubi verò scriptores sacri id fecerunt?

Inter alia multa testimonia, habes Mat. 12. v. 18,19,20,21. ubi nimis apertum est verficulum 19 tantùm ad propositum

tum Evangelistæ Matthæi pertinere, cùm id voluerit probare, *cur Christus, nè palàm fieret, interdicere*. *Deinde* Act. 2. v. 17, 18, & 19, 20, 21. ubi etiam tantùm vers. 17, & 18. ad propositum Petri Apostoli faciunt, quod quidem est, ut *spiritum sanctum esse effusum supra discipulos* doceat: & ibidem v. 25, 26, 27, 28. ubi palàm est versum tantùm 27 ad propositum facere; quandoquidem id approbet Apostolus, *Christum à morte detinere fuisse impossibile*. *Denique* in hoc ipso capite, v. 9. ubi verba hæc, *dilexisti justitiam & odio habuisti iniquitatem*, apparet nihil pertinere ad rem quam probat Apostolus, quæ est, *Christum præstantiorem factum angelis*.

Quo verò testimonio docere volunt Christum conservare omnes res creatas?

Ex eo, ubi scriptum exstat *Christum portare omnia verbo virtutis suæ*, Heb. 1. 3.

Quid verò ad id respondes?

Id, hic verbum, *omnia*, non minùs quàm in pluribus aliis locis, non *omnia* in universũ sine ullâ exceptione designare; verùm

rùm ad ea tantùm, quæ ad Christi regnum pertineant, referri: de quibus verè dici potest, *Dominũ Jesũ omnia verbo virtutis suæ portare*, id est, conservare. Quòd verò vox, *Omnia*, hoc loco ad ea duntaxat referatur, ex ipsâ materiâ subjectâ satis apparet. *Præterea*, verbum, quo hic utitur scriptor, *portare*, magis gubernandi vel administrandi rationem quàm conservandi significat, quemadmodum illa, quæ annexa sunt, *verbo virtutis suæ*, innuere videntur.

Quo verò testimonio, cum eduxisse populum Israëliticum ex Ægypto, *docent?*

Ex epistola Judæ v. 5. *Jesus populum de terrâ Ægypti salvans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.*

Tu verò quid respondes?

Hanc vocem, *Jesus*, in nullo Græco exemplari prorsus haberi, verùm loco illius passim legi vocem *Dominus*: Quare illud testimonium nullo modo probat id, quod sibi adversarii proposuerunt.

Id verò, quòd cum Israëlitis in deserto

deserto fuerit, eos duxerit, eis benefecerit, *unde probant?*

Ex hoc Pauli testimonio: *Et omnes eundem potum spiritualem biberunt.* 1 Cor. 10. 4. *biberunt autem ex spirituali eos consequente petrâ: petra autem Christus.* Et ex eo, quod inferiùs paullò Apostolus ait, v. 9. *Neque tentemus Christum, quemadmodum alii tentaverunt, & à serpentibus perierunt.*

Quid verò ad ea respondendum est?

Quod ad *primum* attinet, nullo modo Apostolus ait, Christum in deserto fuisse cum populo Israëlis, & ei benefeciſſe. Licèt enim scribat, illam petram, è qua bibit populus Israël, fuisse Christum, nullâ ratione tamen asserit, Christum illic revera fuisse: id verò propterea, quòd ea verba Pauli figuratè possint accipi. Quòd verò eam petram vocat *spiritualem*, adversam partem nihil juvat, cùm ea petra potuerit appellari *spiritualis*, licèt fuerit *materialis*, propter eandem causſam, propter quam & ille cibus *spiritualis* appellatus fuit, quòd in se *mysticum* quiddam contineret: quem-

admodum etiam in Apocalypsi Joannes aït, *Urbem illam magnam, in quâ dominus noster crucifixus est, vocari spiritualiter Sodomam & Ægyptum*, Apoc. 11.8. Quod verò aït, quòd *illa petra eos sit secuta*, accipi debet de aquâ, quæ è petra fluxit, & populum secuta fuit per desertum, quòd antea fluente aquâ, aut certè ad bibendum idoneâ caruit; quâ de re illud exstat apud Esaiam, ubi Dominus aït, Is. 43.20. *glorificabit me agri bestia, dracones, & struthiocameli; etenim dedi eis aquas in deserto, fluvios in locis inviis, ad potandum electum populum meum.* Quod verò ad *secundum* testimonium spectat, *ne tentemus Christum sicut quidam tentaverunt*, ex iis etiam verbis doceri non potest, Apostolum affirmare, Christum in deserto revera tentatum fuisse: ut è simili oratione, si quis ità diceret, deprehendi potest: *nè sitis refractarii magistratui, quemadmodum quidam majorum nostrorum fuerunt*, non illico concluderes eundem numero magistratum utrobique designari. Quod si reperiuntur in scripturis ejusmodi loquendi modi, in quibus similis oratio ad eum, cujus

nomen

nomen paullò ante expressum est, sine ullâ illius ejusdem repetitione referatur, tum hoc ibi fit, ubi nullus alius præter eum, cujus expressum est nomen, subintelligi possit: ut exemplum ejus rei habes in illo testimonio, Deut. 6. 16. *Non tentabis dominum deum tuum, quemadmodum tentâsti in loco tentationis.* Verùm in ea oratione Apostoli, de quâ agimus, potest subintelligi alius præter Christum, ut *Moses*, *Aaron*, &c. de quo vide, Num. 21. 5.

E quo verò testimonio docere volunt gloriam Christi Esaiæ visam?

Ex eo Joannis 12. v. 41. *Hoc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus & locutus est de eo.*

Quod verò responsum ad eam rem affers?

Primùm, ea verba ad Christum non necessariò referri hinc apparet, quòd de Deo patre accipi possint: etenim verba paullò superiora de eodem dicuntur. *Excæcavit*, *induravit*, *sanavit*. *Deinde*, gloriam, quam Esaias vidit, poterat esse, imò erat, non præsens, sed futura.

Etenim proprium est vatibus futura videre, unde etiam *Videntes* appellati fuere, 1 Sam 9.9. *Denique*, etiamsi de gloria eâ, quæ tum præsens erat, Esaiæ visâ, hæc verba accipias, longè tamen aliud est, *gloriam alicujus videre*, & aliud *ipsummet videre*. Et in gloria illius unius Dei vidit etiam Esaias gloriam Christi Domini. Aït enim ibidem vates, *plena est terra gloriâ Dei*, Es. 6. 3. Tum autem hoc reipsa factum est, cùm Jesus Christus illi populo primùm apparuit, & post toti mundo annunciatus est.

E quibus verò testimoniis scripturæ demonstrare conantur, Christum (*ut loquuntur*) incarnatum *esse?*

Ex iis, ubi secundùm eorum versionem legitur, *verbum caro factum est*, Jo. 1.14. Et, *Qui* (Christus) *cùm esset in forma Dei, non arbitratus est rapinam esse se æqualem Deo; Verùm seipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & in habitu inventus ut homo*, Phil. 2. 6, 7. Et, *Deus manifestatus est in carne*, 1 Tim. 3. 16. Et, *Nec enim angelos apprehendit*,

hendit, sed semen Abrahæ apprehendit, Heb. 2. 16. Et, *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex deo est*, 1 Jo. 4. 2, 3. Et, *ingrediens in mundum* (Christus) *dicit, hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi*, Heb. 10. 11.

Quomodo ad primum *respondes?* Eâ ratione, quòd in eo testimonio non habeatur Deum (ut loquuntur) *incarnatum* esse, aut quòd natura divina assumpserit humanam. Aliud enim est, *Verbum caro factum est*, aliud, *Deus incarnatus est*, (ut loquuntur) vel *natura divina assumpsit humanam. Præterea*, hæc verba, *verbum caro factum est*, vel potiùs, *Sermo caro factus est*, possunt & debent ità reddi, *Sermo caro fuit.* Posse ità reddi, è testimoniis, in quibus vox ἐγένετο (quæ hic per *factum est* translata est) verbo *fuit* reddita invenitur, apparet: ut in eodem cap. v. 6. & Lucæ 24. 19. *Fuit homo missus à Deo, &c.* Et, *Qui fuit vir prophetа, &c.* Debere verò reddi per verbum *fuit*, ordo verborum Joannis docet, qui valdè inconvenienter loquutus fuisset, *sermonem carnem factum esse*, id est, ut ad-

versarii interpretantur, naturam divinam assumpsisse humanam, postquam ea jam de illo *Sermone* exposuisset, quæ nativitatem hominis Jesu Christi subsecuta sunt; ut sunt hæc: *Joannem Baptistam de illo testatum esse; illum in mundo fuisse; à suis non fuisse receptum; quòd iis, à quibus receptus fuisset, potestatem dederit, ut filii Dei fierent.*

Quâ ratione illud intelligendum est, Sermonem carnem fuisse?

Quòd is, per quem Deus voluntatem suam omnem prrfectè exposuisset, & propterea à Joanne *Sermo* appellatus fuisset, homo fuerit, omnibus miseriis, & afflictionibus, ac morti denique subjectus. Etenim vocem *Caro* eo sensu scriptura usurpat, ut ex iis locis perspicuum est, ubi Deus loquitur. *Non contendet spiritus meus cum homine in æternum, quia caro est,* Gen 6. 3. Et Petrus, *Omnis caro ut fœnum,* 1 Pet. 1. 24.

Ad secundum *quid respondes?*

Neque hìc exstare quod adversa pars confectum velit: Aliud enim est, quod hìc Apostolus ait *cùm in formâ Dei esset,*

formam

formam servi assumpsit; aliud verò, *natura divina assumpsit humanam*. Etenim hìc *forma Dei* designare non potest Dei naturam, cùm Apostolus scribat eam formam Christum *exinaniviſſe*. Deus verò naturam suam nullo modo exinanire potest. Nec verò *forma Servi* denotat naturam humanam, cùm *servum esse* ad fortunã & conditionem hominis referatur. At nè id quoque dissimulandum est, scripta Novi Testamenti hanc vocem, *formæ*, semel fortassis tantùm alibi usurpare Mar. 16. 12. idque eo sensu, quo non naturam, sed exteriorem speciem significat, cùm ait, *Jesum duobus discipulis suis apparuisse in alia formâ*.

Ex iis verò verbis, quæ Apostolus paullo pòst subjecit, habitu inventus est ut homo; *nónne apparet eum (ut loquuntur) incarnatũ esse?* Nullo modo; Etenim ea oratio nihil in se habet ejusmodi. De *Samsone* enim in literis sacris legimus, quod *idem futurus erat, ut homo*: Judic. 16. 7, 11. Et Psalm. 82. Asaph iis hominibus, quos *Deos* & *filios altissimi* vocaverat, denunciat, quòd *essent morituri ut homines*, de quibus

bus certum est non posse dici, eos (ut adversarii dicunt) *incarnatos* fuisse.

Quâ ratione locum hunc totum intelligis? Ad eum modum, quòd Christus, qui in mundo, instar Dei, opera Dei efficiebat, & cui, sicut Deo, omnia parebant, & cui divina adoratio exhibebatur, ità volente Deo, & hominum salute exigente, factus est tanquam servus, & mancipium, & tanquam unus ex aliis vulgaribus hominibus, cùm ultro se capi, vinciri, cædi, & occídi permiserit.

Ad tertium *verò quid respondes? Primùm* quidem, quòd in multis exemplaribus vetustis & in ipsa vulgatâ non legatur vox *Deus*. Quare ex eo loco certum nihil concludi potest. *Deinde*, etiamsi ea vox legeretur, nullam esse caussam, cur ad Patrē referri non possit, cùm hæc de Patre affirmari possint, *eũ apparuisse in Christo, & Apostolis, qui* caro *fuerunt*. Quòd autem inferiùs legitur, secundùm usitatam versionem, *receptus est in gloriam*, id in Græco habetur, *receptus est in gloria*, id est, cum gloria, aut gloriosé.

Quæ verò futura est hujus testimonii sententia?

Ut

Ut eò meliùs sententiam testimonii hujus assequi valeas, integrum illud recitabo, siquidem Apostolus ait; *Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est gentibus, fides habita est illi in mundo, receptus est in gloria.* Cujus testimonii sententia est hæc: Religionem Christi plenam esse mysteriis: Nam *Deus*, id est, voluntas ipsius de servandis hominibus, per homines infirmos & mortales perfectè patefacta est: & nihilominus tamen propter miracula, & virtutes varias, quæ per homines illos infirmos & mortales edita fuerant, pro vera est agnita: eadem ab ipsis angelis fuit demum perspecta; non solùm Judæis, verùm etiam gentibus fuit prædicata: omnes ei crediderunt, & insignem in modũ, & summà cum gloriâ recepta fuit.

Ad quartum *ut respondes?*

In eo, nè similitudinem quidem *incarnationis* (ut vocant) apparere, cùm is scriptor non dicat, *Christum assumpsisse* (ut quidam reddunt, & vulgò eo sensu accipiunt) sed *assumere*: nec dicit *naturam humanam*, sed *semen Abrahæ*: quod

in literis sacris notat eos, qui in Christum crediderunt, ut Gal. 3. 29. videre est.

Qui verò sensus hujus erit loci?

Id sibi vult is scriptor, Christum non esse Servatorem Angelorum, sed hominum credentium, qui quoniam & afflictionibus & morti subjecti sunt (quam rem superiùs expressit *per participationem carnis & sanguinis*) propterea Christus ultro illis se submisit, ut fideles suos à mortis metu liberaret, & in omni afflictione iisdem opem afferret.

Quomodo verò respondes ad quintum testimonium?

Etiam in eo nihil prorsus de *incarnatione* (quam vocant) haberi. Etenim quod apud quosdam legitur, *venit in carnem*, in Græco habetur, *in carne venit*. Propterea non scribit Joannes, quòd *Spiritus, qui confitetur Jesum Christum, qui in carne venerit, ex Deo est*; verùm quòd *is spiritus, qui confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est*. Quorum verborum sensus est, eum spiritum ex Deo esse, qui confitetur Jesum illum, qui munus suum in terris sine ulla pompa & ostentatione mundanâ,

nâ, summâ cum humilitate, quoad exteriorem speciem, summóque cum contemptu obiverit, mortem denique ignominiosam oppetierit, esse Christum, & populi Dei regem.

Quid ad sextum respondes?

Nè hìc quidem de *incarnatione* (ut vocant) ullam mentionem factam, cùm is mundus, in quem ingressum Jesum is autor ait, sit ille mundus futurus, ut superiùs demonstratum est. Unde etiam ingredi in illum mundum, non nasci in mundum, sed in cœlum ingredi significat. *Deinde*, illis verbis, *Corpus aptâsti mihi*, *corporis* vox (ut ex eo apparuit, ubi de ingressu hoc in mundum actum est) pro *corpore immortali* accipi potest.

Quæ sententia ejus loci est?

Deum *Jesu* tale corpus aptâsse, postquam in cœlum est ingressus, quod ad obeundum munus Pontificis summi aptum & accommodatum foret.

Exposuisti hactenus scripturas, è quibus id docere de Christo volunt, quod in iis non habetur; cedo etiam eas scripturas, è quibus illi perperam conclusiones suas astruere instituunt.

Ex

Eæ Scripturæ, è quibus illi conclusiones suas perperam conficiunt, aut Christum *directè* respiciunt, aut per *quandam accommodationem* ad eum referuntur.

Quænam sunt, quæ directè Christum respiciunt?

Sunt eæ, in quibus Christus aut *Deus*, aut *unum esse cum Deo*, aut *æqualis Deo*, aut *Filius Dei viventis*, aut *Filius Dei proprius*, aut *unigenitus*, aut *primogenitus totius creaturæ*, aut *omnia habens, quæ Pater habeat*, aut *Pater æternitatis*, aut *verbum Dei*, aut *imago Dei invisibilis*, aut *character substantiæ ejus*, aut *is, quo viso videtur Pater*, dicitur: aut *in quo habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter*, aut *is qui gloriam habuit antequam mundus esset*, aut quòd *spiritus ipsius in prophetis fuerat*, aut *is, qui de cœlo descendit, à Patre exivit, & in mundum venit, à Patre missus fuerat in mundum*, aut quòd *unicus esset Dominus, Dominus gloriæ, Rex Regum, Dominus Dominorum*, & *ad quem fides & honor divinus pertinet.*

In quibus verò scripturis Christus vocatur Deus?

Joan. 1. v. 1. & *verbum fuit Deus*, & cap.

20. v. 28. *Thomas ad Christum ait, Dominus meus, & Deus meus,* & Rom. 9. v. 5. Apostolus scribit, *Christum Deum* (esse) *supra omnes benedictum in secula.*

Quid his testimoniis effici potest? Naturam divinam in Christo ex iis demonstrari non posse, præter ea quæ superiùs allata sunt, hinc manifestum est, quòd in *primo* testimonio agatur de *Verbo,* quod Joannes testatur *apud illum Deum fuisse.* In *secundo,* Thomas eum appellet *Deum,* in cujus pedibus & manibus clavorum, in latere lanceæ vestigia deprehendit; & Paulus eum, qui secundùm carnem ex patribus erat, *Deum supra omnia benedictum* vocat. Quæ omnia dici de eo, qui naturâ Deus sit nullo modo posse, planum est. Etenim ex illo sequeretur duos esse Deos, quorum alter apud alterum fuerit. Hæc verò, *vestigia vulnerum habere, ex patribus esse,* hominis sunt prorsus; quæ ei, qui naturâ Deus sit, asscribi nimis absonum esset. Quòd si illud distinctionis naturarum velum quis prætendat, jam superiùs illud amovimus & docuimus,

hanc distinctionem nullo modo posse sustineri.

Ubi verò Scriptura testatur Christum cum Patre esse unum?

Joan. 10. v. 29, 30. ubi Dominus ait; *Pater, qui mihi* (oves) *dedit, major omnibus est, & nemo eas rapere potest è manibus Patris mei: Ego & pater unum sumus.*

Quâ ratione respondes ad id testimonium?

Ex eo, quòd dicatur *Christus esse cum Patre unum*, effici non posse, esse unum cum eo *naturâ*, verba Christi, quæ ad Patrem de discipulis habuit, demonstrant. Joan. 17. 11. *Pater sancte, serva illos in nomine tuo, ut sint unum, quemadmodum & nos unum sumus.* Et paullò inferiùs; ver. 22. *Ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi illis, ut sint unum, quemadmodum nos unum sumus.* Quòd verò Christus sit unum cum Patre, hoc aut de *voluntate*, aut de *potentia* in salutis nostræ ratione accipi debet: unde naturam divinam non probari ex eodem loco constat, ubi Christus ait, *Patrem omnibus esse majorem*, ac proinde etiam ipso

so *Domino*, quemadmodum idem *Dominus* expresè fatetur, & quòd eas oves ei dederit. Joan. 14. 28.

At Deo æqualem *ubi eum Scriptura vocat?*

Joan. 5. ver. 18. *Propterea ergò magis quærebant Judæi eum tollere, quòd non solùm Sabbatum solveret, verùm etiam Patrem suum Deum diceret, æqualem seipsum faciens Deo.* Et Philip. 2. ver. 6. *Qui* [Christus] *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.*

Quî porrò ad ea loca respondes?

Quòd Christus sit *æqualis Deo*, id divinam in eo naturam nullo modo probat, imò hinc res adversa colligitur. Nam si Christus Deo, qui naturâ Deus est, æqualis est, efficitur, quòd is idem Deus esse non possit. Æqualitas verò Christi cum Deo in eo est, quòd eâ virtute, quam in eum contulit Deus, ea omnia effecerit, & efficiat, quæ ipsius Dei sunt, tanquam Deus ipse.

Filium *autem* Dei viventis, filium Dei proprium & unigenitum *esse Christum, ubi habetur?*

De hoc Matth. 16. ver. 16. legimus, ubi

Petrus

Petrus ait : *Tu es Christus filius Dei viventis.* Et Roman. 8. ver. 32. ubi Apostolus ait : *Qui* [Deus] *proprio filio non pepercit, verùm eum propter nos tradidit:* Et Joan. 3. ver. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Et paullò inferiùs ver. 18. *Et qui non credit, jam judicatus est, quòd non crediderit in nomen unigeniti filii Dei.*

Quomodo verò ad hæc loca respondetur? Ex iis omnibus attributis Christi nullo modo probari posse naturam ejus divinam. Nam quòd ad *primum* attinet, notissimum est Petrum fateri, quòd *filius hominis* sit Christus, & *filius Dei viventis*, quem constat divinam naturam, qualem illi comminiscuntur, non habuisse. *Præterea*, testatur Scriptura de aliis hominibus, quòd *sint filii Dei viventis*, ut ex Osea, Rom. 9. ver. 26. *Et erit loco ejus, ubi eis dictum est; non populus meus* [estis] *vos; illic vocabuntur filii Dei viventis.* Quòd verò *secundum* & *tertium* locum attinet, in his legimus *proprium & unigenitum Dei filium* in mortem traditum, quod de eo, qui naturâ Deus sit, dici non potest. Imò verò ex

eo,

eo, quòd Christus *Dei filius* sit, apparet Deum illum non esse, alioquin sibi-ipsi filius esset. Caussa verò cur Christo ista attributa competant, hæc est, quòd inter omnes Dei filios, & *præcipuus* sit, & Deo *charissimus*, quemadmodum Isaac, quia Abrahamo charissimus, & hæres exstitit, *unigenitus* vocatus est, Heb. 11. 17. licèt fratrem Ismaëlem habuerit & Solomon *unigenitus coram matre sua*, licèt plures ex eadem matre fratres fuerint. 1 Paral. 3. 1, 2, 3, 4, 5, 6, &c. Prov. 4. 3.

Quæ Scriptura eum vocat, Primogenitum omnis creaturæ? Colos. 1. ver. 15.

Quid ad eam respondes?

Neque hinc naturam divinam Christum habere exsculpi posse. Etenim cùm Christus *Primogenitus omnis creaturæ* sit, eum unum è numero creaturarum esse oportere, necesse est. Ea enim in Scripturis vis est *primogeniti*, ut *primogenitum* unum ex eorum genere, quorum *primogenitus* est, esse, necesse sit. Col. 1. 18. Rom. 8. 29. Apoc. 1. 5. Ut verò unus è rebus conditis creationis veteris exsistat

existat Dominus Jesus, nec Adversarii quidem concedent, nisi Arriani esse velint. Unum igitur esse è novæ creationis genere Dominum Jesum concedant oportet. Unde non solùm divina Christi natura effici non potest; verùm etiam quòd nullam divinam naturam Christus habeat, firmiter conficitur. Quòd verò eo nomine vocatur ab Apostolo Jesus, eò fit, quòd tempore & præstantiâ res omnes novæ creationis longè antecedat.

Ubi verò Scriptura, eum omnia, quæ Pater habeat, habere *asserit*? Joan. 16. ver. 15. Christus ait, *Omnia quæ Pater habet, mea sunt*, & infrà capite 17. 10. *Mea omnia tua sunt, & tua mea.*

Quid tu ad hæc?

Vox *omnia*, ad subjectam materiam, ut superiùs aliquoties demonstravimus, ferè semper refertur. Quare ex ejusmodi locis non potest ullo modo, quod volunt effici. Materia verò subjecta capite 16. est, id nimirum, quòd Spiritus sanctus Apostolis ad Christi regnum spectans revelaturus erat. Et 17. capite constat apertissimè agi de discipulis ipsius

ipsius Jesu, quos ipsi Deus dederat, unde eos etiam *suos* vocat. *Præterea*, cùm quicquid Christus habeat, habeat Patris dono, non autem à seipso, hinc apparet, ipsum divinam naturam habere nullo modo posse, cùm naturâ Deus omnia à seipso habeat.

At quæ Scriptura Christum Patrem æternitatis *vocat?*

Esaiæ 9. ver. 6.

Tu verò quid ad hæc?

Ex eo naturam divinam probari non posse, cùm certam ob causam *Pater æternitatis* Christus sit vocatus, ex ipsis verbis ibidem paullò superiùs expressis, videre est. Mirum verò est, Adversarios hunc locum, ubi agitur de *Patre æterno*, ad filium referre, quem constat secundùm eos ipsos Patrem non esse. *Pater* verò *æternitatis* aut *futuri seculi* propterea dictus est Christus, quòd sit Princeps & Autor vitæ æternæ, quæ futura est.

At his encomiis, quòd *Verbum Dei, imago Dei inconspicui*, &, *character hypostaseos ejus sit*, &, *qui videat Jesum, eum videre Patrem*, &

& *in Jesu habitare omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter*, quæ scripturæ Jesum insigniunt?

Joan. 1. v. 1. *In principio erat verbum*, conjuncto eo, quod Apoc. 19. 13. scribitur à Joanne, *Verbum Dei*; Col. 1. 15. Heb. 1. 3. Joan. 14. 9. Col. 2. 9.

Quod tu ad hæc?

Ex eo, quòd *verbum Dei* sit Christus, doceri divina in Christo natura non potest, imò adversum potiùs colligitur. Cùm enim ipsius unius Dei verbum sit, apparet eum non esse ipsum unum Deum. Quod etiam ad singula hæc testimonia simul responderi potest. *Verbum* verò, vel *sermo Dei* Jesus ideo nuncupatur, quòd omnem Dei voluntatem nobis exposuerit, ut ibidem Joannes inferiùs exposuit, Joan. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui in sinu Patris est, ipse nobis enarravit*: quemadmodum etiam eodem sensu & *vita* & *veritas* dicitur. Atque hoc idem dici potest de eo, quòd *imago Dei inconspicui* vocatur. Quòd vero *character hypostaseos*

ejus

ejus dictus sit, hoc intelligi debet; Deum quicquid nobis promisit, jam reipsâ in eo exhibuisse. Quòd verò attinet ad dictum Domini Jesu: *Qui me videt, videt Patrem*, neque hinc naturam divinam probari certum cuique esse potest, cùm ea ratio *videndi* non possit de *essentia* Dei accipi, quæ invisibilis sit prorsus, verùm de *cognitione* eorum, quæ dixit & fecit Christus, ut ibidem 10 versu Christus declarat. Nec illis denique verbis, quòd *plenitudo divinitatis in eo habitat corporaliter*, probatur natura divina. *Primùm* enim, vox hæc *divinitas*, designare potest *voluntatem* Dei, eámque orationem cùm Apostolus opponat non *personis*, sed *Philosophiæ & Legi*, hinc perspicuum est, eam de *doctrina* Domini Jesu, non de *persona* accipi. De hac verò voce, *corporaliter*, quid ea notet, inferiùs suo loco audies.

At ubi Scriptura aït de Christo, eum habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus fieret? Joan. 17. v. 5. Ipse Dominus in sua ad Deum precatione aït: *Et nunc glorifica me, Pater, apud temetipsum, eâ gloriâ, quam*

quam apud te habui, antequam mundus fieret.

Quid ad hoc respondes?

Neque hinc naturam divinam probari. Posse enim aliquem *gloriam habere antequam mundus fieret, apud Patrem*, nec tamen hinc effici eum esse *Deum*, apparet 2 Tim 1. ver. 9. ubi ait Apostolus de credentibus, *illis datam fuisse gratiam, ante tempora secularia. Præterea*, hic scriptū est Jesum *rogare hanc gloriam*, quod naturæ Divinæ prorsus repugnat. Loci verò sententia est: Christum rogare Deum, ut ei gloriam reipsâ det, quam habuerit apud Deum in ipsius *Decreto* antequam mundus fieret.

Quo autem loco Scriptura ait, Spiritum Christi fuisse in Prophetis?

1 Pet. 1. v. 10, 11. *De qua salute exquisiverunt & perscrutati sunt Prophetæ, qui de illa in eos gratiâ prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus, significaret in eis Spiritus Christi, &c.*

Quid ad hoc respondes?

Neque hinc naturam in Christo divinam effici. Nam hic Spiritus, qui in Pro-

Prophetis erat, Christi dici potest, non quòd à Christo datus fuerit, sed quòd ea, quæ Christi fuerunt, prænunciârit, ut ibidem Petrus ait; *prænuncians illas in Christum passiones, & post hæc glorias.* Quem loquendi modum etiam, 1 Joan. 4. 6. habes: *Hinc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris:* ubi non propterea *Spiritus veritatis* & *erroris Spiritus* dicitur, quòd veritas & error, tanquam personæ, eum Spiritum conferant: verùm eò, quòd *Spiritus veritatis* loquatur quæ veritatis sunt, & *Spiritus erroris* quæ sunt erroris.

Ubi verò Scriptura de Christo ait, quòd de cœlo descendit, à Patre exivit, & in mundum venit?

Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est* vel *erat in cœlo.* Et inferiùs, cap. 10. 36. *Me, quem Pater sanctificavit, & in mundum misit.* Et inferiùs cap. 16. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum: rursus relinquo mundum, & eo ad Patrem.* Et inferiùs cap. 17. v. 18. *Sicut me misisti in mundum, &c.*

Quid

Quid ad hæc respondes?

Ex iis non probari divinam naturam hinc apparere, quòd *primi* testimonii verba, *Descendit de cælo*, possint figuratè accipi, quemadmodum, Jac. 1. ver. 17. *Omne datum bonum & donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Et Apoc. 21. v. 2. 10. *Vidi civitatem sanctam, Hierusalem novam, descendentem de cælo à Deo, &c.* Quòd si propriè accipi debeant, quod nos perlibenter admittimus, apparet non de alio illa dicta, quàm de filio hominis, qui cùm personam humanam necessariò habeat, Deus naturâ esse non potest. Porrò, quod Scriptura testatur de Christo, quòd *Pater eum miserit in mundum*, idem de Apostolis Christi legimus in iisdem verbis citatis superiùs: *Quemadmodum me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum*, Jo. 17. 18. Ea verò verba, quòd *Christus à Patre exierit*, idem valent, quod *de cælo descendit*. *Venire* verò *in mundum*, id ejusmodi est, quod Scriptura post nativitatem Christi exstitisse ostendit; Joan. 18. v. 37. ubi ipse Dominus ait: *Ego in hoc natus sum, & in*

mundum veni, ut testimonium perhibeam veritati. Et 1 Joan. 4. 1. Scriptum est, *multos falsos prophetas exiisse in mundum.* Quare ex ejusmodi loquendi modis natura divina in Christo probari non potest. In omnibus verò his loquutionibus, quàm Divinum muneris Christi principium fuerit duntaxat describitur.

At quæ Scriptura Christum, Dominum unum, Dominum gloriæ, Regem Regum, & Dominum Dominorum perhibet?

1 Cor. 8. v. 6. *Nobis unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per eum.* 1 Cor. 2. v. 8. *Nam si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Et Apoc. 17. 14. *Cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos, quòd Dominus Dominorum sit, & Rex Regum.* Et inferius, cap. 19. ver. 16. *Et habet in veste & femore suo nomen scriptum, Rex Regum & Dominus Dominorum.*

At quid affers ad hæc testimonia?

Quod ad *primum* attinet, ex eo, quod Christum Apostolus *Dominum unum* vo-

cet, natura divina effici nequit. Nam cum *primò* manifestè ab illo Patre, quem ibidem Deum unum fatetur, secernit, quem solum naturâ Deum esse superiùs docuimus. *Deinde*, hoc ipsum quod de eo dicit, *omnia per ipsum*, cum naturâ Deum esse non ostendit: cùm, ut superiùs demonstratum est, hac particulâ, *per*, non *primam*, verùm *secundam* caussam designari constet: quod de eo, qui naturâ Deus est, dici nullo modo potest. Et licèt de Patre Scriptura interdum loquatur, *per eum omnia*, aliter tamen hæc de Patre, quàm de Christo accipiuntur. De Patre enim hæc ideo dici constat, quòd omnes caussæ *mediæ*, per quas fit aliquid, non aliunde sint, nisi ab ipso, nec sint ejusmodi, ut sine iis ille agere non possit: de Christo verò dicuntur, quòd per eum alius quis, nempe Deus omnia operetur, ut Ephes. 3. 9. expressè habetur: nè commemorandum mihi sit, verbum *omnia* (uti superiùs ostensum est) ad subjectam materiam referri. Quod ità habere indè apparet, quòd Apostolus agit de iis omnibus rebus, quæ ad populum Christianum pertinent, ut *duo* hæc verba

ba demonstrant, *Nobis* & *Pater*. Unde efficitur Christum non simpliciter & absolutè, verùm certâ de causâ vocatum *Dominum unum per quem omnia*. Quare hinc natura divina non probatur. Quod verò attinet ad *secundum* testimonium, cùm in eo agatur de eo qui *crucifixus* sit, apparet ex eo naturam divinam non probari, cùm de hac illud dici nequeat, verùm de homine, qui ideo *Dominus gloriæ* dicitur, hoc est, dominus glorioſus, quòd à Deo gloriâ & honore coronatus sit. In *tertio* verò testimonio, cùm agatur de eo qui *agnus* est, & qui *vestimenta* habet, quem & *occisum*, & *sanguine suo nos redemisse* apertissimè idem Joannes fatetur, quæ referri ad divinam naturam nullâ ratione possunt, apparet eò naturam divinam Christi astrui non posse. Omnia verò, quæ hìc Christo in his testimoniis tribuuntur, singularem ipsius potestatem, quam Deus Christo in iis, quæ ad novum Fœdus pertinent, dedit, arguunt.

At quæ testimonia Scripturæ proferri possunt pro fide in Chri-

stum, & honore divino asserendo?

Joan. 14. 1. ait ipse Dominus: *Creditis in Deum, & in me credite.* Et Joan. 5. ver. 22, 23. *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem.* Et Phil. 2. ver. 9, 10, 11. *Propterea eum Deus superexaltavit, & donavit ei nomen super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Jesus Christus est Dominus in gloriam Dei Patris;* & aliis multis in locis.

Quid ad hæc respondes?

Quod ad *primum* locum attinet, tantum abest, ut ex eo probetur Christum natura esse Deum, ut potius longè diversum effici perspicuum sit. Etenim aperte hic Christus inter se & *Deum unum* discrimen ponit, de quo hùc agi, articulus in Græco additus indicio est. Quod verò ipsi aiunt, *fidem non attribui nisi Deo ipsi*, hoc Christus in alio loco solvit ipse, dum ait. Joan. 12. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Unde perspicuum est, Christum

sum eam fidem sibi non arrogare, quam Deo ipsi debemus. Etenim ea fides ipsi Deo tribuitur, quæ in ipso terminatur, quæq; eum ut rerum omniũ primũ autorem respicit: eam verò fidem Christo non attribui constat. Etenim eò in Christum fidem collocamus, quòd nos felices efficiendi potestatem à Deo acceperit, & ei muneri sit præpositus, atque ad eum modum fides nostra in Christum, per eum ad ipsum Deum tanquam ultimum finem, dirigitur, quòd etiam testatur Petrus, cum ait; *Per eum creditis in Deum, qui eum à mortuis excitavit, & gloriam ei dedit, ut fides & spes vestra in Deo sit*, 1 Pet. 1. 21.

Verùm illi ex Jeremia afferunt, quòd maledictus sit, qui confidit in homine.

Respondeo; non dictum est absolutè, *maledictum esse qui confidit in homine*; verùm *qui ità confidit, quòd carnem ponat brachium suum*, hoc est, in ipsis tantùm viribus humanis suam spem defigat, sine Spiritûs & virtutis divinæ auxilio: id enim per vocem *Caro* prorsus intelligitur, cui etiam addita sunt verba,

Et à domino recedit cor ejus. Verùm qui in Christo spem collocamus, non statuimus *carnem brachium nostrum*, neque *recedimus corde à Deo*, imò Christo confidendo, Deo confidimus, & sic cor nostrum accedit ad Deum, non à Deo recedit.

Ad alia verò testimonia, quid respondes, quæ de honore Christi divino *agunt?*

Cùm omnia testimonia, quæ de *divino Christi honore* testantur, tollentur etiam apertè satis, honorem Christo divinum certo tempore, certámque ob causam datum & concessum esse, naturam in Christo divinam iis non probari planum est. Quòd verò opponunt illud Esaiæ 42. 8. *Gloriam meam alteri non dabo*; Respondeo, satis apparere quid sibi velit hæc particula, *Alteri*: Etenim illico ea consequuntur, *neque honorem meum sculptilibus*: De his itaque eo loco loquitur Deus, qui cum eo communionem nullam habent, & quibus si gloria & honor aliquis tribueretur, in eum non redundaret. Verùm nequaquam dicit, se cum eo non communicaturum gloriam suam, qui ex eo pendeat, & qui

sit

sit ei subordinatus. Hac ratione enim nihil decedit ipsius gloriæ, cùm in eum universa referatur. Etenim cùm Dominus Jesus à Deo pendeat, & ei subordinatus sit, quicquid honoris ei exhibetur, id totum in ipsum Deum redundat.

De iis Scripturis quæ directè *Dei filium videntur respicere audivi; velim de iis cognoscere, quæ per* quandam applicationem *Christo accommodantur, & naturam in Christo divinam videntur probare.*

Ea testimonia sunt apud Esaiam. *Primum* cap. 8. ver. 14. quòd *futurus erat lapis offensionis, & petra scandali:* Quod Lucas cap. 2. ver. 34. & Paulus Rom. 9. 32. & Petrus Epist. 1. cap. 2. v. 7. repetunt. *Secundum* Esai. 45. ver. 23. ubi Deus ait, *Juravi per memetipsum, quòd mihi curvabitur omne genu:* Quod de Christo legitur Rom. 14. ver. 11. *Tertium* legimus Esai. 41. v. 4. & cap. 44. v. 6. & cap. 48. ver. 12. *Ego sum primus, ego sum novissimus.* De Christo verò idem legimus Apoc. 1. 17. *Quartum* Esai. 35. ver. 4, 5, 6. *Deus ipse veniet, & servabit nos, tum oculi*

cæcorum, & aures surdorum aperientur, tum claudus instar cervi saliet, & mutorum lingua solvetur. De Christo verò hæc sunt repetita Matth. 11. 5. *Quintum* Zach. 12. 10. scriptum est, *Et aspicient me quem transfixerunt.* Quod Joan. 19. 37. scripsit de Christo. *Sextum* Psal. 69. 19. *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Quod idem de Christo repetitum est apud Paulum Ephes. 4. 8. E quibus testimoniis ad eum modum argumentantur: Quandoquidem quæ dicta sunt de Deo, sub lege, eadem dicuntur de Christo sub *Evangelio*, apparet Christum esse illum Israëlis Deum, ac proinde naturâ Deum.

Ad hæc quid respondes?

Ad omnia ità responderi potest, ut appareat nullo modo ex iis effici divinam in Christo esse naturam? Etenim aliam ob caussam ea quæ de Deo dicta sunt sub Lege, dici potuerunt de Christo sub *Evangelio*, quemadmodum & dicta sunt: Nimirum propter illam summam, quæ inter Deum & Christum est, ratione imperii, potestatis atque muneris, conjunctionem

ctionem, quæ omnia illum Dei dono consecutum esse Scripturæ novi Testamenti passim testantur. Quòd si Scriptura ea tradit de Mose, *Eum Israëlem ex Ægypto eduxisse*, Ex. 32. 7. & quòd *redemptor illius populi fuerit*. Act. 7. 35. & de aliis idem, quod de ipso Deo apertissimè scriptum erat: Cùm nec Moses neque alii, tantam cum Deo conjunctionem haberent, quanta inter Deum & Christum intercessit, multò justius hæc quæ de Deo *primo respectu* dicta sunt, Christo accommodari possunt, propter summam illam & arctissimam inter Deum & Christum conjunctionem.

Perspexi Christum naturam divinam *non habere, sed* verum hominem *esse, nunc cedo quî* cognitio ejus rei ad salutem utilis *sit*?

Hoc perspicere hinc potes, quòd è cognitione ejus rei, quòd Christus homo verus sit, spei nostræ certa eáque incorrupta subsequatur confirmatio, quæ adversâ sententiâ prorsus convellitur, & tantùm non tollitur.

Qui verò istud?

Hac ratione, quòd ex adversa sententiâ sequitur, Christum Jesum non esse *verum hominem*: Etenim cùm in Christo negent *personam hominis*, quis non videt eos unâ eâdémque operâ Christum *verum hominem* negare? Nec enim *verus homo* esse potest, qui hominis *personâ* careat. At si Christus *verus homo* non fuisset, nec mori, ac proinde nec à mortuis quidem exsuscitari potuisset: unde spes nostra, quæ resurrectioni Domini Jesu, ceu basi cuidam ac fundamento innititur, facilè convelli, ac ferè ruere potest. Ea verò sententia, quæ Christum pro *vero homine* agnoscit, qui in mundo existens, obediens fuit Patri usque ad mortem, eundémque mortuum, & à Deo à mortuis reductum, & immortalitate donatum asserit, & certò statuit, spem nostram de salute æternâ mirum in modum fulcit; & ante oculos nostros ipsissimam ejus rei imaginem proponit & constituit. Nos etiam, licèt mortales simus & moriamur, nihilominus tamen

tamen à mortuis tempore suo resurrecturos, & in immortalitatis ejusdem, cujus ipse particeps jam exstiterit, societatem esse venturos, si vestigiis ipsius institerimus.

D E

De Prophetico JESU CHRISTI MUNERE.

Quæ spectant ad Personam *Christi intellexi: ad ea quæ* Muneris *ipsius sunt progredere.*

Optimè! Tenendum itaq; tibi est Christi *Munus* in eo consistere, quòd is sit *Propheta*, *Rex*, & *Sacerdos* noster.

Ubi verò Propheta *in Scripturis nominatur?*

De hoc singulare exstat Testimonium quod Petrus è Mose repetit, *qui ad patres locutus est; Prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester è fratribus vestris, quemadmodum me, eum audietis, secundùm*

dum omnia quæ ad vos locutus fuerit. Act. 3. 22. Deut. 18. 18.

In quo verò consistit ipsius Munus Propheticum?

In eo, quòd nobis *voluntatem Dei perfectè manifestavit*, & confirmavit.

Unde apparet, Christum nobis Dei voluntatem perfectè manifestavisse?

Hinc, quòd ipse Jesus perfectissimâ ratione eam à Deo in cœlis sit edoctus, & ad eam hominibus publicandam, è cœlo magnificè sit missus, & eam *perfectè* iisdem enarrârit. Quod ex iis nominibus, quæ ei in Scriptura attribuuntur, apertissimum est; cùm eum *Sermonem Dei, Deum, & Dei filium, Imaginem Dei inconspicui, splendorem gloriæ Dei*, Scriptura vocat: Et cùm asserit, *omnem plenitudinem Deitatis in eo habitare corporaliter*, id est, quòd in doctrina ipsius, tota Dei voluntas integrè & reipsâ est patefacta.

Ubi verò scriptum est, Christum fuisse in cœlo, & è cœlo missum? Joan. 6. 38. *Descendi è cœlo, non ut voluntatem meam faciam, verùm ejus, qui me misit:*

misit: Et inferiùs ver. 62. *Cùm ergò videritis filium hominis assendentem ubi erat priùs*: Et cap. 3. 13. *Nemo assendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui fuit in cælo*: Et inferiùs v. 31. *Qui è supernis venit, supra omnes est; qui de terra est, de terra est, & terrena loquitur; qui de cælo venit, supra omnes est*: Et cap. 8. v. 28. *Sicut me docuit Pater meus, hæc loquor.* Et cap. 16. 28. *Exivi à Patre, & in mundum veni; rursus relinquo mundum, & abeo ad Patrem.*

Quæ verò est illa voluntas Dei *per Jesum Christum patefacta?*

Est illud *fœdus novum*, quod cum humano genere Christus nomine Dei pepigit, unde etiam *Mediator N. fœderis* vocatur.

Quid verò hoc Novum fœdus comprehendit?

Duplex rerum genus; quorum unum *Deum*, alterum *nos* respicit.

Quod verò Deum *respicit?*

Sunt perfecta *Mandata* & perfecta Dei *Promissa.*

CAPUT

Caput I.

De Præceptis Christi, quæ Legi addidit.

Quænam sunt perfecta mandata *Dei per Christum patefacta?*

Pars eorum continetur in Præceptis à Moſe traditis, unà cum iis, quæ ſunt eis in N. Fœdere *addita*. *Pars* verò continetur in iis, quæ *peculiariter* ipſe Chriſtus *præſcripſit*.

Quænam ſunt priora?

Sunt ea, quæ continentur in Decalogo.

Ergò ſunt alia præcepta *à Deo* per Moſen tradita?

Sunt; quorum *alia* ad *ritus exteriores*, vulgò *cerimonias* vocatos; *alia* ad *judicia* pertinent: verùm ea Chriſtus partim *expreſsè*, partim *tacitè* ſuſtulit. *Apertè* per Apoſtolos, potiſſimùm verò per Paulum Apoſtolum, magnam partem præceptorum, ad ritus exteriores ſeu

seu cerimonias spectantium, sustulit & abolevit: alii verò ritus exteriores seu cerimoniæ, quæ *apertè* sublatæ non sunt, proprietate N. Fœderis abolitæ censeri debent, propter eandem caussam, propter quam aliæ sublatæ sunt, quas *apertè* sublatas deprehendimus.

Quæ verò proprietas *est* N. Fœderis?

Ea, quòd planè spirituale sit, neque in ullis rebus externis, verùm in interiori ritus sit positum. Porrò, ritus exteriores, vulgò *cerimoniæ* vocatæ, spirituales non sunt; quippe cùm exteriorem faciem respiciant. Quare nisi de ejusmodi re quapiam *expressè* in N. Fœdere extet mandatum, nullo modo eam in N. Fœdere servandam esse credendum est. Itaque statuendum est, quicquid in prisco Fœdere præceptum est, quod ad *cerimonias* vulgò vocatas, refertur, ad N. Fœdus nullo modo pertinere.

Quæ verò caussa est, ob quam cerimoniæ *quædam Veteris Fœderis* apertè *sunt abolitæ?*

Ea est, quòd eæ *cerimoniæ* umbræ fuerunt rerum futurarum, quæ jam præ-

sentes

sentes sunt, & in Fœdere Novo apparuerunt. Quare umbris jam nihil loci relictum est.

Exstátne ejus rei aliquod in Scriptura expressum *testimonium*?

Exstat apud Paulum; Col. 2. 16, 17. *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut parte diei festi, aut Neomeniarum, aut Sabbatorum, quæ umbræ sunt futurorum, corpus verò Christi.* Atque hinc fit, ut omnes aliæ *cerimoniæ* licèt apertè abolitæ non sint, *tacitè* tamen eas abolitas esse sit statuendum, cùm omnes umbras exstitisse constent eorum quæ in N. Testamento apparuerunt. Etsi quædam prisci fœderis *cerimoniæ* ejusmodi exstiterint, quæ propterea abolitæ sunt, quòd tantùm ad Fœdus Vetus nullo modo verò ad Novum pertinebant.

Cedò quænam ejusmodi cerimoniæ *fuere?*

Exemplum ejus rei habes in *agno Paschali*, & *die festo Tabernaculorum*: Hæc, & alia nonnulla similia, non nisi ad Israëlem tantùm pertinebant, qui sub prisco Fœdere Dei populus exstitit: Ad Gentes, ad Deum conversas, quæ hodie

sunt

sunt maxima populi Dei pars, nullo modo.

Quod verò attinet ad judicialia *præcepta, quâ ratione*, taciténe *an* manifestè *sunt abolita?*

Non *manifestè*, verùm *tacitè* potiùs; etsi causas, propter quas abolitas esse statuendum est, manifestas esse appareat.

Quænam eæ sunt causæ?

Tres potissimùm. *Prima*, quòd sub prisco Fœdere *severitas & rigor* locum habuit; in Novo verò Fœdere *gratia & misericordia*. *Secunda*, quòd sub Novo Fœdere facta sit promissio perfecta vitæ æternæ, quam antiquum Fœdus non habuit, nihil *expresè* aliud promittens, quàm hujus vitæ bona temporaria, ut infrà patebit. *Tertia*, quòd sub Veteri Fœdere populus Dei, & rempublicam terrenam, & illius formam ab ipso Deo præscriptam & constitutam habuerit; quâ republicâ deficiente, & ipsæ Leges ac *judicia* ad eam constituendam introducta, evanuere.

Ergò Magistratûs & Reipub. terrenæ regimen & ordinatio evanuit?

Nequaquam;

Nequaquam; cùm omnis potestas à Deo sit. Rom. 13. 1. Et potest ipse Christianus Magistratum gerere, modò in ipso capescendo & ministrando ità se gerat, nè quid contra leges & Christi mandata delinquat.

Expone tandem quænam sunt præcepta Decalogi, *& quæ cuique eorum Dominus Jesus* addiderit.

Primum ordine præceptum est; *Non habebis Deos alienos coram me.*

Quid verò hoc mandatum *in se continet?*

Hæc *duo. Primum,* quòd Deus pro nostro Deo habendus sit, & is *divino cultu & honore* à nobis sit afficiendus. *Deinde,* quòd nullus alius præter eum sit pro nostro Deo habendus, nec *divino cultu & honore* afficiendus.

Cùm superiùs intellexerim qui Deus pro Deo habendus sit, nunc scire velim, quâ ratione divino cultu & honore afficiendus sit.

Ad eum modum, ut is *cultus & honor,* omnem cultum & honorem humanum, qui ordinariè exhiberi cuicunque consuevit,

sivit, multis partibus excedat: Et nos ità in eo nos geramus, ac si Deum oculis nostris, qui tamen inaspectabilis est, coram cerneremus.

Quâ verò in re cultus & honor Dei consistit?

Breviter loquendo, *in adoratione.*

Quo pacto adoratio *Deo exhibenda est?*

Adoratio, quam Deo debemus, *duplex* est; *interior & exterior.*

Qualis verò est interior?

Ejusmodi, quæ in se comprehendit summam animi nostri in Deum reverentiam, adeò ut ex ipso cordis & animi sensu, Deum non solùm in corpus nostrum, verùm etiam in animas nostras absolutissimam potestatem habere, iisque leges ponendi, ac eas judicandi autoritatem illi esse summam, agnoscamus & profiteamur.

Quæ verò est exterior adoratio?

Quæ corporis nostri submissionem longè omnium infimam comprehendit, eámque, quæ *interioris adorationis* testis sit & index, & quæ omnem honorem externum, qui rebus conditis exhibetur,

betur, infinitis partibus longè superet.

Nónne ad eandem adorationem, ut coram Deo in genua & facies nostras procidamus, pertinet?

Prorsus; ac præterea eadem *exterior* adoratio in se *celebrationem nominis divini*, ac pro beneficiis acceptis *gratiarum actionem* publicam, & in necessitatibus *imploratione divini auxilii* continet.

Quid verò ad hæc addidit *Dominus Jesus?*

Primùm hoc, quòd nobis *certam orandi rationem* præscripserit.

Quæ verò isthæc est?

Ea, quæ Matth. 6. 9, & seq. & Luc. 11. 2, & seq. habetur; *Pater noster qui es in cœlis, &c.*

Quid verò hæc oratio *continet?*

Duplicis generis petitiones; quarum priores *gloriam Dei* respiciunt, posteriores *ad nostros usus* referuntur.

Quæ verò sunt quæ Dei gloriam *respiciunt?*

Tres priores ordine positæ.

Quæ est prima?

Sanctificetur nomen tuum.

Explica

Explica mihi eam petitionem.

In hac *petitione*, à Deo, ut nos omni ratione juvet, quò nomen illius verbis, hymnis, scriptis, aliisque, quibuscunq; id fieri possit, modis, à nobis celebretur, contendimus.

Quæ est secunda?

Adveniat regnum tuum.

Explica illius vim.

In hac *petitione* rogamus Deum, ut is eo modo, quo consuevit, novit & potest, sive uno, sive pluribus, nos, ut animum illi nostrum consecremus, inducat: quòd potissimum fit, veritatis ipsius, & singulariſſimarum promiſſionum ejus in animis nostris patefactione & obsignatione: Tum enim verè Deus regnat, cùm in animis & cordibus nostris regnum exercet.

Quæ est tertia petitio?

Fiat voluntas tua, sicut in cœlis, ità & in terra.

Explica vim petitionis istius.

In hac *oratione* precamur Deum, ut nobis *in obedientia præstandâ*, quæ ei debetur, & quæ vitâ & factis exprimenda est, opem adferat: Multæ enim opis homo indiget,

indiget, ut ea, quæ Deus ei, potissimùm sub Evangelio, mandavit, præstare possit: Sunt enim ea ejusmodi, quæ vires ipsius multis partibus superent. Est autem in ea *petitione*, & tacita *confessio infirmitatis* nostræ, & *fiduciæ*, quam erga Deum habemus, ac *spei*, quam de divina benignitate concipimus, cùm audemus id ab eo contendere, ut nos non minùs quàm angelos, qui in cœlis sunt, & faciem ejus intuentur, ad obedientiam aptos reddat.

Quæ verò petitiones sunt ad usus nostros *spectantes?*

Reliquæ *tres*, quæ eadem ordine sequuntur.

Quæ est prima?

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Explica hanc petitionem.

In *hac petitione* petimus à Deo; *primùm*, ut *donum gratiæ*, spirituali vitæ nostræ sustinendæ atque fovendæ necessarium: *Deinde*, *res* omnes, quæ *ad vitam præsentem tuendam* quoquo modo pertineant, nobis conferat.

Quæ est secunda?

Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Expone hanc *quoque.*

In *hac petitione* illud à Deo contendimus; non solùm ut *ea peccata*, quæ postquam nos legibus Evangelii subjecimus, designavimus; verùm etiam multò magis *illa*, quæ antè cognitam veritatem patravimus, nobis condonet. Quandoquidem hæc sunt & longè graviora, & faciliùs eadem à vitæ æternæ possessione nos excludere, & in damnationem æternam conjicere possunt. Quod verò additum est, *Quemadmodum & nos remittimus debitoribus nostris*, statuendum est, nullo modo peccatorum veniam nobis sperandum esse, nisi nos offensas aliis condonemus, idque ex animo & corde, ità ut ab omni vindictæ cupiditate animum nostrum prorsus avocemus.

Quæ est tertia petitio?

Et nè nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

Eam *declara.*

In *hac petitione* à Deo petimus, ut nobis succurrat, nè in afflictionibus, quoties

in

in eas, vel voluntate Dei, vel permissione incidimus, quæ quidem credentibus explorandi causâ immitti solent sæpiùs, succumbamus: útque nos à Satana liberet, id est, nos iis afflictionibus, quibus ille ad nos opprimendos, tanquam machinationibus quibusdam utitur, opprimi nullo modo patiatur.

Nónne aliter orare *licet?*

Prorsus; nec enim Dominus nobis id vel hìc, vel alibi interdixit; modò illud nè fit ejusmodi, quod voluntati divinæ nobis apertè præscriptæ, adversetur. Quòd si verò ejusmodi quid sit, de quo non sit nobis Dei patefacta voluntas, tum verò id votum Dei voluntati est planè subjiciendum.

Quo fine ergò Dominus Jesus præcepit ut ad eum modum, *quo dixisti*, Oremus?

Ut nobis certò constet, quæ *semper* & *necessariò* à Deo sint *petenda.*

Quid præterea huic præcepto primo *Dominus Jesus* addidit?

Id, quod etiam Dominum Jesum pro Deo agnoscere tenemur, id est, pro eo, qui in nos potestatem habet divinam,

& cui nos divinum exhibere honorem obstricti sumus.

In quo is honor divinus *Christo debitus consistit?*

In eo, quòd quemadmodum *adoratione divinâ* eum persequi tenemur; ità in omnibus necessitatibus nostris ejus *opem implorare possumus*; *Adoramus* verò eum propter sublimem ejus majestatem; *imploramus opem* ipsius propter sublimem & divinam ejus potestatem.

Quid præterea ad honorem *Christi* divinum *pertinet?*

Administratio Cœnæ ipsius, de qua inferiùs audies.

Unde verò probas divinam *Christo deberi* adorationem?

In multis Scripturæ locis ejus rei exstant documenta: Nominatim verò, Joan. 5. 22, 23. Christus ait, *Pater omne Judicium* (i. regimen & gubernationem) *dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Et Phil. 2. 9, 10, 11. *Propterea eum Deus super-exaltavit, & donavit illi nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum; & ut omnis lingua*

gua confiteatur, quòd Dominus est Jesus Christus, ad gloriam Dei Patris.

At quî ostendes nos ad Dominum Jesum in omni necessitate confugere posse?

Primùm hâc ratione, quòd nobis *opem afferre & possit & velit: deinde,* quòd ad eam rem habeamus *incitamenta,* tum ab ipso Domino, tum ab Apostolis ipsius: *denique,* quòd *exempla* ejus rei in hominibus sanctis cernere liceat.

Christum Dominum opem nobis afferre posse & velle, *unde doceri potest?*

Eâ de re inferiùs audies, ubi de ipsius Regio, & Sacerdotali munere acturi sumus.

At ubi Dominus, *ubi ipsius* Apostoli *isthæc* incitamenta *nobis proposuere?*

Primum, Joan. 14. 13, 14. & 15. 16. & 16. 23, 24, 26. ubi Dominus ipse ait, *Quicquid petieritis in nomine meo* (i. confisi nomini & virtuti meæ) *ego faciam.* Et Apoc. 3. 18. *Consulo tibi, ut apud me emas aurum* &c. Et Heb. 4. 14, 15, 19. ubi autor ille ad eum modum scribit. *Habentes*

igitur Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem: Etenim non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, verùm tentatum per omnia in similitudinem, absque peccato: Accedamus igitur cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus in opportunum auxilium. Et Rom. 10.13. *Omnis qui invocabit nomen Domini servabitur.*

Exempla *ubi ejus rei exstant?* Luc, 17.5. *Apostoli inquiunt, Domine, adauge nobis fidem.* Similiter Matth. 8.25. *Domine, serva nos, perimus.* Item Act. 7. 59. ubi Stephanus invocans, in hæc erumpit verba, *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Ac iterum ver. 60. *Domine, nè id imputes ipsis pro peccato.* Item, 2 Cor. 12.7,8. *Et nè præstantiâ revelationum efferar, datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satan, ut me colaphizet, nè efferar: propterea ter rogavi Dominum, ut à me recedat.* Item, 1 Thess. 3.11. *Ipse verò Deus, & Pater noster, & Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos.* Atque hoc idem videre est in omnibus salutationibus

ſalutationibus Apoſtolicis, in quibus *gratiam*, *miſericordiam*, & *pacem*, ut à Deo Patre, ità à Filio ipſius, Jeſu Chriſto, Domino noſtro, credentibus precantur.

Eâ verò additione, quòd Chriſtum pro Deo agnoſcere, & eum cultu proſequi divino teneamur, nónne hoc præceptum proſus immutatur?

Nequaquam ipſum præceptum immutatur: Omnis enim qui Chriſto exhibetur cultus, in Dei Patris gloriam redundat: verùm ipſius ratio & modus nonnihil immutatus eſt. Etenim ante Chriſtum *immediatè* tantùm, at ſub Chriſto etiam *mediatè* Deus colitur. *Præterea*, cùm ea lex velit, nè deos alienos habeamus coram Deo; Chriſtus verò Deus alienus non ſit, ſed in eo ipſo cultu, qui ipſi exhibetur, Deo ſit ſubordinatus, apparet legem nullo modo mutari, cùm ſubordinata non pugnare notiſſimum ſit.

Ergò is honor *&* cultus *Chriſto ad eum modum tribuitur, ut nullum*

sit inter Christum & Deum hoc in genere discrimen?

Imò permagnum est. Nam adoramus & colimus Deum tanquam *causſam primam* salutis nostræ; Christum tanquam *secundam*. Aut, ut cum Paulo loquamur, Deum tanquam eum, *ex quo omnia*, Christum ut eum, *per quem omnia*.

Quid verò sentis de iis hominibus qui Christum non invocant, nec adorandum censent?

Prorsus non esse Christianos sentio, cùm reipsâ Christum non habeant, & licèt verbis id negare non audeant, reipsâ negent tamen.

Dixisti nos secundùm Deum Christum colere debere; an quisquam præterea colendus sit, doce.

Nullo prorsus modo; nec enim ullum exstat divinum testimonium, ex quo, cuiquam, Christo excepto, datam in nos esse divinam potestatem appareat. Quòd verò hodie in Romana Ecclesiâ *Virgini Mariæ* & *Sanctis* potestas aliqua divina tribuitur, id totum in ipsorum opinione fundatum est.

Nónne

Nonne jure excusari possunt, cum eo animo id faciant, ut Deo cultum exhibeant?

Nequaquam: nam in cultu divino non satis est opinione, quantumvis speciosâ, niti, ut omnium est sententia: verùm etiam veritate ipsâ ad eam rem opus est: aliter is cultus pro *Idololatriâ* jure censeri debet.

Perspectum mihi est neminem præter Deum & Christum colendum esse: verùm num non licet invocare Virginem Mariam *&* Sanctos; *non ut nobis ipsi aliquid dent; verùm ut precibus suis apud Deum & Christum impetrent?*

Nullo modo licet, ob caussam paullò ante expositam: ac etiam quòd in iis rebus, quæ ad cultum Dei pertinent, certissimè oporteat esse persuasum, hæc quæ fiunt, secundùm Dei voluntatem fieri posse: verum è Scripturis sacris nullum testimonium proferri potest, ex quo constet, *Virginem Mariam*, & alios *Sanctos*, vel aliquam curam habere eorum, quæ à nobis fiant; aut eos vel scire, vel intelligere ullo modo, aut preces

noſtras audire : De quibus tamen certò perſuaſum eſſe oporteret eum, qui preces adillos directas vellet.

Arbitror me, quam hoc præceptum primum *in Chriſtianâ religione vim habeat percepiſſe : accede igitur ad* ſecundum.

Præceptum *ſecundum* eſt ; *Non facies tibi imaginem.* &c.

Quæ eſt ſententia præcepti hujus? Ea, nullam *imaginem* eo fine fingendam, ut adoretur, aut colatur : neque ejuſmodi *imago* ullo modo fingenda eſt, quæ occaſionem adorationi, & cultui ejuſmodi dare poſſit.

Quæ verò ſunt imagines ejuſmodi quas homines eo fine faciunt, ut adorentur & colantur?

Sunt eæ omnes, quas homines *Religionis opinione* & ſtudio faciunt.

Quâ ratione adoratio, & ejuſmodi, perficitur?

Cùm non ſolum *imagines* ipſæ adorantur ; verùm etiam *ante* ipſas imagines adoratio inſtituitur ; & cùm *religioſè* veſtiuntur ; multò verò magis cùm *cerei* coram iis accenduntur ; *thura* incenduntur ;

duntur ; *vota* iis nuncupantur ; & ad eas *peregrinationes* instituuntur.

Verùm aiunt hæc non imaginibus *exhiberi, neque* imagines *ipsas, sed eos, quos referunt, adorari.*

Hoc effugium nihil eos juvat. In isto enim interdicto, nulla fit mentio ejusmodi differentiæ, ut hoc imaginum causâ fiat, vel non ; sed, ut prorsus hoc non fiat, præcipitur. Hoc verò effugium admitti non debere, ostendunt exempla vituli illius, quem in deserto Israëlitæ conflaverant ; & illorum, quos Jeroboamus Israëlitis in eâ terrâ, quam à Deo in hæreditatem acceperant, adorandos proposuerat : Etenim certum est, cultum illum, qui exhibebatur illis vitulis, non ipsis *vitulis*, sed *Jehovæ*, Deo Israëlitarum, exhibitum fuisse; quippe cum Israëlitæ illis referri *Jehovam*, Deum Israël, opinarentur. Eum tamen cultum adversatum fuisse præcepto *Jehovæ*, ex ipsâ historiâ satis notum est.

Quâ ratione verò probabis, Israëlitas, in illo vitulo *in deserto conflato*, Jehovam *coluisse?*

Id quidem è facto ipsius Aaron, & populi doceri potest: Ac ex Aaronis facto quidem, quòd Aaron precibus populi compulsus, ut iis faceret Deum, qui iis præiret, vitulum illum conflavit; certum porrò est, Aaronem alium Deum, præter *Jehovam*, non habuisse; Quod etiam hinc elucet, quòd Aaron de illo vitulo, cùm eum dedicaturus esset, ad eum modum locutus est; *Cras erit solennitas Jehovæ.* Exod. 32. 5. Ex Israëlitarum porrò facto; quòd ii de vitulo dicerent; *eum fuisse Deum, qui eos è terra Ægypti eduxisset.* Notissimum vero iisdem fuit, neminem nisi *Jehovam* eos ex Ægypto eduxisse. Etenim tota hæc actio eductionis ex Ægypto, operâ Mosis, sub expresso nomine ipsius *Jehovæ*, peracta fuit.

Quid de illis vitulis, quos Jeroboam fabrefecerit, idem ostendes?

Primùm, ex eo, quòd isti *vituli* populo ab ipso Jeroboamo propositi fuerunt in eum finem ut adorarentur, ídque iis verbis; *Ecce Deus tuus Israël, qui eduxit te è terrâ Ægypti. Deinde*, ex ipsâ hîstoriâ satis perspicuum est, imò in ea expressum,

pressum, propterea à Jeroboamo eos vitulos fabrefactos fuisse, nè populus Hierosolymam, *Jehovæ* colendi causâ, iret. Etenim illi nunquam Hierosolymam frequentare destitissent, neque cultui vitulorum acquievissent, nisi illis persuasum fuisset, in illis vitulis à se *Jehovam* coli.

Quid verò additum *est in* N. Fœdere huic præcepto?

Ut non solùm imagines non adoremus, verùm etiam easdem prorsus fugiamus, ut habemus, 1 Joan. 5. 21. *Filioli, Fugite Idola* &c. 1 Cor. 8. & cap. 10. 14. *Propterea, fratres dilecti, fugite ab Idolatriâ.*

Quâ ratione verò vitanda sunt Idola? Nè vel illic, ubi adorātur aut coluntur imagines, simus, neque iis *consecratorum* participes existamus: ut ex iisdem locis, quos superiùs paullò citavimus, perspicuè satis apparet.

Dic quod Tertium *sit* præceptum? *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, &c.

Quid verò est nomen Domini in vanum assumere?

Est

Est Deum testem vocare in rebus falsis.

Quid huic præcepto additum *sub N. fœdere?*

Primò, quòd non solùm Deum, verùm etiam Dominum Jesum Christum, in testimonium vocare possimus; cùm Dominus Jesus *corda*, & *renes* scrutetur. Apoc. 2. 23. *Deinde*, quòd nobis non solùm *pejerare* non liceat, verùm etiam nè in veris quidem *jurare*, nisi longè gravissimis caussis adacti, iisque, quibus Dei gloria nitatur, ad idque non temerè, verùm cum magno Dei metu, & cautione summâ accedendum.

Ubi eâ de re scriptum est?

Matth. 5. 33. 34. 35. 36. 37. *Audistis dictum fuisse antiquis, non pejerabis, sed reddes altissimo vota tua*, &c. vide locum. Quâ de re etiam Jac. 5. 12. habetur.

Ergò quum Dominus jurare *vetet omnino, unde probabis*, in gravissimis caussis licere jurare?

Ea vox, *omnino*, non eum sensum habet, ac si nullo modo *jurare* liceret: Est enim opposita juramentis *spontaneis*, & à *levitate* proficiscentibus, qualia, modò vera

vera essent, Lex Mosaïca non prohibebat; cui hâc in parte Dominus Jesus doctrinam suam opponit. *Præterea*, legimus Apostolos jurâsse, ut videre est Rom. 1. 9. 2 Cor. 1 cap. 23. & cap. 11. 31. Phil. 1. 8. 1 Thess. 2. 5. 10.

Cur etiam Dominus Jesus etiam in veris ultrò, ac leviter jurare *vetat?*

Ut nomen Dei altissimi & ipsius Domini Jesu apud nos sit in summâ veneratione; *Deinde*, nè *levitate jurandi, perjerare* consuescamus.

Licétne jurare per alios, *excepto Deo & Christo?*

Non licet ullo pacto; nec enim cuiquam Deus id, ut *scrutator cordium esset*, Christo excepto, dedit.

Quod est Quartum Præceptum? *Memento, ut diem Sabathi sanctifices.* &c.

Quid verò de hoc præcepto *censes?*

Esse sublatum sub *N. fœdere*, quemadmodum alias *cerimonias*, ut vocantur, censeo.

Cur verò Decalogo *insertum est?*

Ideo, ut absolutissimam legis Mosaicæ partem non fuisse perfectam appareret, &

& quoddam indicium extaret ejus rei, legem successuram Mosaïcæ legi, longè perfectiorem, legem nempe Domini nostri Jesu Christi.

Nónne Christus constituit, ut, Diem, *quam vocant* Dominicum, *Sabbati loco obiremus?*

Nullo modo. Cùm Religio Christi, quemadmodum alias *cerimonias*, ut vocantur, ità delectum dierum prorsus tollat, ut Colos. 2. 16. apertè scribit Apostolus. Verùm cùm *Diem Dominicum* antiquitus celebrari à Christianis videamus, nos eandem libertatem omnibus Christianis permittimus.

Expone Quintum præceptum? *Honora patrem tuum & matrem,* &c.

Quid porrò est honorare parentes? In omnibus, iis dicto audientem esse, quæ modò non pugnent cum Dei præceptis, & omnem gratum animum iis pro beneficiis acceptis præstare. Eph. 6. 1, 2. 1 Tim. 5. 4.

Quod verò est, Officium parentum? Nè liberos *irritent*; verùm eos *enutriant in disciplinâ & admonitione Domini.* Eph. 6. 4. Col. 3. 21.

Quid

Quid verò est irritare liberos?

Est, vel sine causâ eos castigare, vel modum in castigando excedere, vel semper jus suum persequi, & nihil eis ignoscere. His enim rationibus animum despondent liberi. Apostolus verò mandat, nè *patres irritent liberos*, quò animum non despondeant.

Quid est eos enutrire in disciplinâ & admonitione Domini?

Est eos in vias Domini introducere, & conservanda Dei præcepta; tum piis collocutionibus, tum adhortatione, tum exemplo, & conversatione, uti Deut. 11. 19. singulare eâ de re præceptum Dei exstat, ubi Deus mandat, ut manè, vesperi, non domi tantùm, verùm etiam in itinere, de lege ipsius parentes cum liberis colloquantur.

Quid Dominus Jesus huic præcepto addidit?

Nihil huic *additum* apparet: Nihilominus ea omnia, quæ de *subditis* & *magistratu*, de *uxoribus* & *maritis*, de *servis* & *dominis*, in literis divinis tradita sunt, huc referenda videntur, propter mutuæ, quem-

quemadmodum inter *liberos* & *parentes* cernere est, officia.

Quod verò Officium *est* subditorum erga Magistratum?

Ut *Magistratui* pareant, non solùm propter metum, verùm etiam propter conscientiam, tributa, census, vectigalia pendant, honore prosequantur, eum metuant.

Quod Officium Magistratûs ergâ subditos?

Ut potestatem sibi in alios, collatam, divinitus agnoscat, in defensionem bonorum, & metum facinorosorum; Quemadmodum Rom. 13. à 1. ad 5. fusè docetur.

Quod verò Officium uxorum erga maritos?

Ut, *in omnibus, maritis pareant, ut ecclesia Christo*, & eosdem metuant. Ephes. 5. 24, 33. 1 Pet. 3. 5. Col. 3. 18.

Quod Officium *est* maritorum erga uxores?

Ut eas *ament*, *quemadmodum Christus dilexit ecclesiam*, & *quemadmodum suum ipsius corpus*, & *tanquam vasi infirmiori*

bono-

honorem exhibeant : & nè adversùs eas sæviant. Eph. 5. 25, 28. 1. Pet. 3. 7. Col. 3. 19.

Quod est Officium servorum erga dominos?

Vt *Dominis obsecundent cum metu, & tremore, & sinceritate cordis, tanquam Christo. Non ad oculum servientes, velut hominibus placentes ; verùm, ut servi Christi, voluntatem Dei facientes ex animo, cum benevolentiâ servientes, tanquam Domino & non hominibus : Scientes quod quisque quicquid boni fecerit, id reportaturus sit à Domino, sive liber, sive servus.* Eph. 6. 5, 6, 7. & 1 Pet. 2. 18. *Vt subjecti sint Dominis cum omni metu, non solùm bonis & æquis, verumetiam iniquis.* Et Tit. 2. 9, 10. *Vt dominis placeant, non contradicentes, non fraudantes, verùm omnem fidem ostendentes.* Et 1 Tim. 6. 12. *Vt quicunque servi sint sub jugo, dominos ipsorum omni honore dignos judicent, nè nomen Dei, & doctrina blasphemetur : Et qui dominos habent fideles, nè eos despiciant, quòd fratres sint ; verùm impensiùs serviant, quòd fideles sint, & dilecti, ejusdem beneficii participes.*

Quod verò Officium dominorum *est* erga servos? Vt

Ut servis *quod æquum & justum* est tribuant, *minas* remittant, *scientes quòd & suus & eorum dominus est in cœlis, nec apud eum est acceptio personarum.* Col. 4.1. Ephes. 6.9.

Expone Sextum Mandatum.

Non occides.

Quid huic addidit *Dominus Jesus?*

Nè fratri irascamur, neq; verbis asperis, ex ulciscendi libidine prodeuntibus, eum offendamus, quæ Dominus Jesus vocibus *Racha*, & *Fatue*, expressit: Quòd illa verba pertinent. Eph. 4. 31. *Omnis amaritudo & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia tollatur à vobis, cum omni malitia.*

Quid verò est dicere alicui Racha *vel* Fatue?

Est hoc, ac si quem nomines hominem nihili, aut flocci, aut ratione carentem.

Quod si contingat ut fratrem offendamus, *quid faciendum est?*

Summo studio reconciliandus est, nisi enim reconciliemur fratri, religio nostra inanis est, & periculum nè in judicium Dei incidamus.

Ergò

Ergò nullâ ratione iraſci *licet?*

Hâc ratione, quemadmodum Dominus vetat, *iraſci* non licet, i.e. *ultionem* expetere: veruntamen ſi quis iraſcatur rerum turpitudine motus, nec tamen *ultionem* ullam meditetur, neque in ira perſiſtat, ad eum modum *iraſci* nequaquam vetitum eſt.

Quid præterea huic præcepto addidit *Dominus Jeſus?*

Inhibuit *omne ultionis genus*, non ſolùm *privatum*, verùm etiam quod fit per *Magiſtratum*: eâ tamen ratione, quòd ſi quis vel corpus, vel fortunas, vel nomen noſtrum læſerit, ut paratiores ſimus aliam injuriam potiùs accipere, quàm nos ulciſci. Quod Dominus Jeſus illis verbis docuit Matth. 5.39,40,41. *Ego vobis dico, nè reſiſtatis malo: verùm ſi quis percuſſerit dextram maxillam tuam, exhibe ei alteram; & qui voluerit tecum jure contendere, ac tuam tunicam tollere, permitte ei & pallium; & qui ſollicitaverit ad milliare unum, abi cum eo duo.*

Ergò ea verba Domini non ſimpliciter *accipienda ſunt, ut ſonant?*

Non; legimus enim de Servatore Joan. 18.

18.23. eum, cùm alapa ei impacta fuisset, non solùm non exhibuisse malam alteram, verùm etiam se percutienti ea verba opposuisse: *Si malè loquor, ede testimonium de malo: sin bene, quid me cædis?* Idem legimus de Apostolo Paulo. Act. 23. 3.

Non licet ergò per Magistratum jure agere & *injurias persequi?*

Licet; modò absit *ultio:* hanc quippe solam vetat Servator. *Ultio* verò est, ubi quis ei, qui in ipsum injurius exstitit, par pari referre studet: ut in lege concessum fuit, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pro pede pedem, pro ustione ustionem, pro livore livorem petere.

Quod verò est Septimum Mandatum?

Non mœchaberis?

Quid huic addidit *Dominus Jesus?*

Primùm, nè *mœchemur*, non solùm reipsâ; verùm etiam *nè mulierem, ità ut eam concupiscamus, aspiciamus.* Matth. 5. 28. Id innuens, eum, qui eam concupiscat, in corde suo adulterium patravisse.

visse. *Præterea*, idem addidit vers. 32. *eum, qui uxorem, exceptâ causâ adulterii, dimittat, & aliam ducat, mœchari:* & *qui etiam dimissam duxerit, eum pariter mœchari. Postremò*, omnem scortationem, & impuritatem, ac etiam omnem sermonem turpem & obscœnum, & scurrilitatem, & jocos nobis interdixit. 1 Cor. 9. 10, 13, 18. Heb. 13. 4. 1 Thes. 4, 3, 4. Eph. 5. 3, 4, 5.

Quid ad idem Mandatum pertinet?

Id, nè fidelis infidelem uxorem ducat, nec fidelis uxor infideli marito nubat; nè per ejusmodi connubium fidelium corda seducantur: ob quam caussam in lege videmus à Deo ipso expressè vetita hujusmodi connubia. 1 Cor. 7. 39. Ex. 34. 16. Deut. 7. 3, 4.

Quod si ex infidelibus alteri contingat fieri fidelem, num infidelis fideli deserendus est?

Nullo pacto; si infidelis cum fideli habitare consentiat: quòd si nolit infidelis cum fideli habitare, non est in hujusmodi subjectus servituti fidelis, ut Paulus docet. 1 Corinth. 7. ver. 10, 11, 12, 13.

Quod

Quod est Octavum Mandatum?

Non furtum facies.

Quid prohibetur hoc Mandato?

In his rebus, quæ ad commodum proximi spectant, *omnis ratio intervertendi*: quod fit ubi vel ea, quæ habet, tollimus; aut, cùm possumus, non ei egeno opem afferimus.

Quâ ratione proximo, quod ejus est, tollitur.

Aut *per vim*, aut *per interversionem* dolosam: quâ ratione *per vim*, cuivis planum est: *interversionis* verò callidæ multæ sunt rationes; aut enim in *emptione* vel *venditione*, aut in *permutationibus*, aut *conductio* & *locato*, aut in *commodato*, & in aliis actionibus eas invenire facile est. Ut habemus quoad *venditionem*, vetus interdictum divinum. Lev. 19. 35. 36. Deut. 25. 14, 15. *Non habebis in domo tuâ duplex Epha, verùm justum pondus habeto, & justum Epha, &c.*

Nónne Usura *huc etiam referenda est?*

Prorsus.

Quid verò est Usura?

Est à pecuniâ commodatâ extortio commodi,

commodi, cum oppressione alterius; quod apparet ex Hebrææ vocis vi, quâ *Usura* in Testamento Veteri appellatur, quæ sonat *Morsum*. Exod. 22. 25. Levit. 25. 36, 37. Deut. 23. 19, 20. Unde apparet commodum à pecuniâ commodatâ percipere *sine morsu*, vel detrimento alterius, nec peccatum esse, nec usuram: Quo factum est, ut in Evangelio nusquam vetita sit ejusmodi commodi perceptio, nisi tum, ubi avaritia, aut rapina prohibetur: licèt ea omnia, quæ contrà spiritum sunt & doctrinam Jesu Christi, non uno in loco speciatim commemorata, & expressa sint.

Quid ad id præceptum adjecit *Dominus Jesus?*

Nè simus *avari*. Luc. 12. 15.

Quid verò est avarum esse?

Est plus habere velle, quàm ad tuendam vitam, tum tuam, tum tuorum omnium pertineat. Heb. 13. 5. 1 Tim. 6. 8, 9, 10, 11.

Quâ verò id fit ratione?

Eâ nimirum, dum homines præter privatam & justam necessitatem, aut quæ-

runt,

runt, aut recondunt, ut Luc. 12. 15. & seq. à Christo docetur.

Quæ verò justa necessitas *ad tuendam vitam pertinens?*

Victus, cultúsque corporis, ac ea fine quibus vita præsens conservari nequit.

In quos igitur usus vertere debent Christiani, quæ justæ necessitati superfint?

Ea omnia vel in usus gloriæ divinæ, vel ad sublevandos pauperes, inprimis domesticos fidei, vertere debent: Eâ tamen cautione adhibitâ, ut nè quid studio privatæ gloriæ faciant; quod docet verbis illis Christus, *Nesciat sinistra tua, quod faciat dextra tua.* Matth. 6. 3.

Qui verò victui cultúque corporis *ponendus modus?*

Eo pacto, nè quis *Luxus* aut *corporis voluptas* in nobis inveniatur.

Quî verò luxus & corporis voluptas *vitari potest?*

Cùm *cibi* & *potûs usum* ad valetudinem tuendam accommodabimus, *cultum* verò eum adhibebimus corpori, in quo nec *luxus*, nec *levitas* appareat.

Quid

Quid verò in ciborum & potûs usu luxum *vetat?*

Gulam & ebrietatem, quò pertinent commessationes, quas prohibet palàm Servator, uti scripta Novi Test. apertissimè planum faciunt. Luc. 21. 34. Rom. 13. 13. Gal. 5. 21.

Quod est nonum præceptum?

Non falsum testimonium dices in proximum tuum.

Quid ad præceptum *hoc pertinet.*

Mendacium quodvis, quod non solùm ab animo fallendi cupido proficiscitur, verùm etiam ex levitate; *præterea*, omne obtrectationis, & detractionis, & damnationis genus. Apoc. 21. 8. Eph. 4. 25. Rom. 1. 29. 30. 1 Pet. 2. 1. Math. 7. 1. Luc. 6. 37.

Quod est Decimum Mandatum?

Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces &c.

Quid est concupiscere domum proximi sui?

Est in corde constituere, ut rem proximi tui, quam appetis, consequare, etiam iniquissimâ ratione.

Quid verò huic præcepto additum *est in Novo Fœdere?*

Non solùm ad eum modum concupiscere non licere, verùm etiam rei cupitæ nullo modo animum adjiciendum esse, etiamsi, ut eam assequatur, nullo modo cogitet; verùm eâ ipsâ tantùm concupiscentiâ voluptatem aliquam in Corde suo quærat. Quod enim facere vel possidere turpe est Christiano, id nè concupiscendum ei quidem est.

Caput II.

De Præceptis Christi sigillatim ab eo traditis.

EXposuisti mihi præcepta Christi, quæ Mandatis Dei per Mosen expositis, & iis quæ Christus Mosaicis adjecit, continentur; supereſt, ut ea quoque exponas, quæ Christus nominatim proposuit.

Ea sunt *duplicia*; quædam enim *mores*, quædam *externos actus religiosos*, qui vulgò *cerimoniæ* vocantur, respiciunt.

Quæ verò respiciunt mores?

Hæc; *Abnegatio sui-ipsius: Crucis tolerantia & perpessio, Imitatio Christi.*

Quæ verò est Abnegatio sui-ipsius?

Est privatæ voluntatis & cupiditatum malarum, mundanarum & carnalium, renunciatio.

Quæ verò sunt istæ cupiditates?

Sunt eæ, quæ vel *ad voluptatem carnis*,

vel *ad opes* & divitias, vel *ad vitæ fastum* referuntur. Quod Joan. in his verbis comprehendit: *Nè ametis mundum, neq; ea quæ in mundo &c. Nam quicquid est in mundo, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & fastus vitæ, non est ex patre, sed ex mundo.* 1 Joan. 2. 15. 16. Quæ quidem Joan. non solùm cum incommodo valetudinis, aut aliorum injuriâ, vel contumeliâ quærì prohibet, verùm etiamsi citra hæc fidelibus contingant, despici, atque contemni vult ab iis omnino.

Quid verò est isthæc crucis portandæ *ratio?*

Est animi non solùm ad afflictiones quasvis, verùm etiam ad mortem vel acerbissimam, & ignominiosissimam, Christi causâ subeundam, præparatio, & acceptio istorum voluntaria, atque cum quadam etiam voluptate tolerantia & perpessio.

Quæ porrò est Christi Imitatio? Est vitæ nostræ ad Christi vitæ regulam compositio?

In quo ea consistit?

In conservatione earum virtutum, quas

Dominus

Dominus Jesus nobis in seipso, tanquam in vivo exemplari, repræsentavit.

Quæ verò sunt hæ virtutes?

Præcipuæ sunt: *Fiducia in Deum*, *Charitas* perfecta, *Humilitas*, *In precibus assiduitas* perpetua.

Quæ est in Deum Fiducia?

Inferiùs de eâ re audies.

Quæ Charitas?

Ea vel Deum, *vel* proximum *spectat.*

Quæ in Deum Charitas *perfecta?*

Ut Deum ex toto corde, ex totâ animâ, & totis viribus supra omnia ames.

Quæ Charitas in proximum?

Ea vel in Fratrem, *vel* Inimicum *dirigitur.*

In quo perfecta Charitas *consistit* erga Fratrem?

Eâ in re, ut vitam etiam pro eo profundamus: quod etiam Dominus Jesus *Mandatum* suum vocat *novum.* 1 Joan. 3. 16. Joan. 13. 34. & 15. 12. Unde apparet, fratrem esse amandum, non solùm ut nos ipsos, verùm etiam supra nos ipsos.

Quid verò est animam seu vitam pro fratre profundere ?

Ut fratrem serves, non solùm nullis aliis rebus parcere, verùm etiam discrimen vitæ non recusare : Quemadmodum à Paulo in Priscillâ, & Aquilâ, & Epaphrodito ejus rei exemplum propositum videmus. Rom 16. 3, 4. Phil. 2. 30.

In quo verò consistit erga inimicum charitas ?

Ut *Inimicus* multiplex est, ità *Charitas* in eum diversa ; nam nos exsecrantibus tenemur bona precari, Matth. 5. 44. iis qui nos oderunt benefacere, Luc. 6. 27, 28. pro iis verò, qui nos affligunt & persequuntur, orare ; cùm rogant, iis dandum est ; cùm esuriunt, sunt cibandi ; cùm sitiunt, potandi, Rom. 12. 20. & cùm mutuò sumere velint, in necessitate verâ atque propriâ, à nobis nequaquam sunt rejiciendi.

Quid est Humilitas ?

Est animi tui summissio, etiamsi summus sis, & ministeriorum etiam vilissimorum, aliis, quantumvis vilibus, præstandi

ſtandi promptitudo: quam in ſeipſo expreſſit Chriſtus, cùm ſervorum ſuorum, Apoſtolorum nempe, pedes lavit. Phil. 2.3,4. Joan. 13.4,5.

Quid eſt denique aſſiduitas in precibus *perpetua?*

Eſt animi noſtri quàm ſæpiſſimè ad Deum, quovis in loco, ſublatio; eidem commendatio omnium neceſſitatum, tum credentium, tum omnium hominum, potiſſimùm Regum, & eorum qui præſunt cum imperio. 1 Tim. 2.1,2.

Quibus rebus inſtructi eſſe debent Orantes?

Ut Deo confidant; eum nempe poſſe dare quod petunt, nequaquam dubitent. Jac. 1.6. Mar. 11.24. ut ſecundùm Dei voluntatem precentur, 1 Joan. 5. 14. i.e. ea quæ Deus promiſit; *Denique*, voluntatem Dei compleant; potiſſimùm, ut ſiquid adversùs aliquem habeant offenſæ, remittant, atque ità manus puras tollant ſine irâ & diſceptatione. 1 Joan 3.22. Joan. 9.31. 1 Tim. 2.8. Quam quidem ad rem multùm juvat *jejunium*, quod credentes ultrò ob

eam cauſſam ſibi-ipſis imponunt, in quo maximè vitanda hypocriſis.

Quid eſt Jejunium ?

Jejunium, de quo hìc agitur, nihil aliud eſt, quàm à cibo & potu, ad certum tempus abſtinentia, ut è multis exemplis, in ſacris literis propoſitis, obſervare licet.

Non eſt Jejunium *ubi homines* à certis cibis *abſtinent ?*

Ex *Jejunii* deſcriptione deprehendere poteras, à certo ciborum genere abſtinere, nequaquam eſſe jejunium : ſed potiùs ciborum delectum, quem Apoſtolus redarguit, & inter Dogmata Satanæ recenſet. 1 Tim. 4. 3.

Jejunantes an certis diebus *adſtringi debeant ?*

Nullo pacto ; id enim eſt contra proprietatem & libertatem religionis Chriſtianæ, quæ ſpiritualis eſt, nec ullo modo ullis temporibus adſtringitur. Nec verò jejunium eſt Deo acceptum, niſi id Dei gloria, aut noſtra ſalus & aliorum, aut aliæ neceſſitates exprimant ; quare totum illud

illud tempus, quod jejunio tribuitur, impendendum est in studia Christiana, ut sunt exercitatio in Lege Domini, ardentes preces, & pia colloquia, &c.

Caput III.

De Cœna Domini.

Quæ verò sunt præcepta *Domini Jesu, ut vulgò vocant,* cerimonialia ?

Est *unum* duntaxat, *Cœna* nempe *Domini.*

Quid verò est Cœna Domini ?

Est Christi Domini institutum, ut fideles ipsius panem frangant, & comedant, & ex calice bibant, mortis ipsius annunciandi causâ, quod permanere in adventum ipsius oportet.

Quid verò est annunciare mortem Domini ?

Est publicè & sacrosanctè Christo gratias agere, quòd is pro ineffabili suâ erga nos charitate, corpus suum torqueri, & quodam modo frangi, & sanguinem fundi passus sit, & hoc ipsius beneficium laudibus tollere & celebrare.

Cur verò hujus potissimùm rei memoriam

moriam Dominus in cœtu ſuo celebrari voluit?

Eò, quòd ex omnibus Chriſti actionibus ea ſit ſumma, & ei maximè propria: licèt enim à mortuis reſurrectio & exaltatio Chriſti ſint longè majores, eas tamen Deus ipſe pater, non autem Chriſtus ipſe peregit.

Nónne alia cauſſa, ob quam Cœnam inſtituit Dominus, ſupereſt?

Nulla prorſus; etſi homines multas excogitârunt, cùm alii dicunt eſſe ſacrificium pro vivis & mortuis: alii uſu ipſius ſe conſequi peccatorum remiſſionem, & firmare fidem ſperant: & quòd eis mortem Domini in mentem revocet, affirment.

Quid verò de his opinionibus ſtatuendum eſt?

Nullam ex illis ſubſiſtere poſſe: Etenim cùm is finis *Cœnæ* Domini uſurpandæ ſit, ut pro beneficiis acceptis Chriſto gratias agamus, apparet non eò inſtitutam eſſe, ut aliquid illic ſumamus: imò qui vult dignè Cœnæ Domini participare, eum de remiſſione peccatorum ex parte Dei certum, ac fi-

de-

de confirmatum esse oportet, & prorsus ità animatum, ut ex illius animo, nunquam mortis Domini excidat memoria.

De eâ re verò, Cœnam Domini esse sacrificium pro vivis & mortuis, *quidnam censendum est?* Hanc opinionem summum prorsus esse errorem: Etenim Scriptura testatur, oblationem Christi nunc in cœlis peragi, nec in terris peragi posse. Hebr. 8. 1, 2, 3, 4. Hebr. 9. 24. *Præterea*, cùm Christus ipse sit, & Sacerdos & oblatio, efficitur, ut Christum offerre nemo possit, nisi Christus ipse. *Denique*, cùm oblatio Christi sit usquequaque perfecta, cùm sit una, quâ in æternum confirmavit sanctificatos, certè repetitione nullâ opus habet: alioquin non esset perfecta & absoluta. Heb. 7. 27. Heb. 10. 14.

Quæ verò sententia illorum verborum, Hoc est corpus meum? Non uno eodémque modo ab omnibus accipiuntur: Etenim *alii* censent panem in Corpus, vinum in sanguinem ipsâ mutari, quod illi *Transubstantionem* vocant: *Alii* corpus Domini *in*

pane,

pane, sub pane, cum pane esse sentiunt. *Sunt denique*, qui in Cœna Domini, verè corporis & sanguinis Domini participes existere se autumant, *spiritualiter* tamen: quæ opiniones omnes sunt fallaces & erroneæ.

Quî verò istud monstrabis?

Eâ ratione, quòd in his verbis, *Hoc est corpus meum*, particula, *Hoc*, ad universam frangendi & sumendi panis, & fundendi vini actionem referri potest: quare nequaquam ad panem & vinum ab Adversariis refertur necessariò, neque hinc captiosæ illorum opiniones nectî & confici possunt. *Præterea*, quod attinet ad ipsam *Transubstantiationem*, ut vocant, cùm Scriptura panem quem sumimus, in ipso usu *panem* vocet, ut è verbis Pauli perspicuum est, 1 Cor. 10. 16. & cap. 11. 26, 27, 28. apparet panem illîc remanere sine ulla prorsus in corpus Domini transmutatione. *Adhæc*, eadem Scriptura testatur, Corpus Christi in cœlis esse, & illîc ad restitutionem omnium esse oportere. Quare in terris existere nequit amplius. *Denique*, si panis in Corpus Christi converteretur,

tur, efficeretur modo corporeo sumi corpus immortale, quali Christum præditum nunc esse inter omnes constat: At hoc fieri nequit, ut corpus immortale modo corporeo sumatur: quare nec illud, ut panis vertatur in Christi corpus. Quod verò ad 2dam *opinionem* attinet, ea, ut ob rationes superiores consistere nequit, potissimùm verò hanc, quòd Christi corpus in cœlis versetur; ità propter hoc inconveniens, quòd ea opinio proprietates corpori Christi prorsus detrahat. *Denique, tertia opinio* locum habere nequit, cùm ea pugnent inter se, *reipsâ Christi corporis esse participem,* & *Spiritualiter illius participem esse.* Et opinionem istam nullo modo certam esse ipsi produnt, cùm fatentur modum hunc sumendi corporis Christi esse prorsus inexplicabilem, aut, quî id fiat, se planè ignorare.

Quid verò statuendum est de Corporis & Sanguinis Christi esu. Joan. 6. 51.

Non agit eo loco Christus de Cœnâ suâ: Etenim illic ei, qui carnem ipsius manducârit & biberit sanguinem, ascribit,

ſcribit, citra ullam conditionem, vitam æternam; ei verò qui non manducaverit carnem ipſius, nec biberit ſanguinem, adimit vitam æternam. Quod de Cœna Domini non dici, hinc perſpicuum eſt, quod poſſit quis Cœnæ Domini eſſe particeps, perire tamen: Ac vice versâ, etiamſi illius non exſiſteret particeps, ſervari. Verùm agit illic Chriſtus de cauſâ fidei in ſe, quæ eſt jugis mortis Chriſti meditatio, è quâ vires ſumimus ad vitam piam & immortalem capeſſendam.

Qui verò illa Pauli verba accipienda ſunt? Calix benedictionis quem benedicimus, nónne eſt communio ſanguinis Chriſti? & panis, quem frangimus, nónne eſt communio corporis Chriſti? 1 Cor. 10. 16.

Ad eum modum; quòd ii omnes, qui calicem hunc *benedicunt*, i. e. eo uſi, ſanctè nomen Domini celebrant; ſimiliter, qui panem communiter frangunt apertè teſtatum faciunt, quòd participes ſint corporis & ſanguinis Domini, i. e. omnium bonorum, quæ

quæ Christus nobis per mortem suam peperit, ut inferiùs paullò de Israëlitis etiam ait, Israëlitas, qui victimas manducabant, Altaris participes fuisse. i. e. ad eos omnia, quæ in religione illâ promissa fuere, pertinuisse.

Expone igitur mihi verum & genuinum illorum verborum Domini, Hoc est Corpus meum, *sensum.*

Nativus & genuinus horum Christi verborum sensus est ac si Christus dixisset; Hæc actio frangendi, & manducandi panis hujus, est commemoratio, & adumbratio quædam ejus quod corpore meo futurum est; & hæc actio fundendi & bibendi vini hujus commemoratio & repræsentatio quædam est, quid sanguine meo fiet, vel (ut verba Pauli Apostoli explicemus) 1 Cor. 11. 25. bibitio ex eo calice est commemoratio illius ingentis charitatis divinæ, quæ nobis in Novo Fœdere exhibita, ac morte Christi est confirmata. Atque ad eum modum Scriptum exstat de illo insueto *agni paschalis* edendi more (etenim lumbos erant succincti, pedes calceati, ac baculum manibus gerentes, & comedebant

debant eum festinantes) eum fuisse *transitum Domini* Exod. 12. 11. 27. Ezech. 5. 2. 3. 4. 5. tum etiam de illorum crinium *parte* sectâ, *parte* exustâ, *parte* dissipatâ, *parte* servatâ, & ex iis *quadam* igne consumptâ: *Hoc esse Hierusalem.*

Caput

Caput IV.

De Baptismo Aquæ.

Quid verò sentis de Aquæ baptismo?

Id: quòd sit ritus exterior, quo homines vel à Judaïsmo, vel à Gentilismo, ad religionem Christianam accedentes, manifestè profitebantur se Christum pro suo Domino agnoscere.

Num ergò ad eum ritum Infantes *pertinent?*

Nullo pacto: nam nec in Scripturis ullum *mandatum*, aut *exemplum* ea de re habemus; neque ipsi, ut res ipsa indicat, Christum pro suo Servatore agnoscere per ætatem possunt.

Quid verò de iis sentiendum est, qui Infantes *baptizant?*

Quantumvis hâc in re errent, non licet tamen ideo eos condemnare, modò alioquin Idololatræ non sint, sed piè secundùm Christi præcepta vivant, & alios, sententiam, ipsorum repudiantes, non persequantur. Non consistit enim regnum Dei in hujusmodi externis, sed in

in justitia, pace, & gaudio in Spiritu S.

Quid verò eâ de re statuis, quòd sint qui putent se hoc ritu regenerari?

Falluntur vehementer ejusmodi; Etenim *regeneratio* nihil aliud est, quàm rationis & voluntatis nostræ transformatio, & ad Christi, Conservatoris nostri, doctrinam compositio, ut ipsa vox *regenerationis* indicat: verùm ejusmodi transformatio in *infantibus* locum habere nequit, qui ignorent, quæ dextra, & sinistra sit; tantùm abest, ut res tanti momenti in eos cadat: *Adultos* verò, in quibus mentis & voluntatis transformatio locum habet, *aquâ regenerari* posse, tantùm à veritate abest, ut etiam videatur quidpiam hoc Idololatriæ simile: cùm rei materiatæ hoc asscribibitur, quod ipsi Deo, & sacro ejus verbo tantùm asscribendum est; cùm is sit, qui nos volens genuit verbo veritatis suæ; & *semen illud* non corruptibile, sed incorruptibile, quo nos *regenerari* oportet, Jac. 1. 18. sit illud *verbum* Dei vivum, & in æternum perseverans. 1 Pet. 1. 24.

At Apostolus ait, Deum nos servâsse

vâsse per lavacrum regenerationis. Tit. 3. 5.

Verum est Apostolum ità loqui, at non affirmare, *lavacrum* illud *regenerationis* esse Aquæ Baptisma. Nec verò in Scripturis inusitatum est, purgationem animorum nostrorum, quæ *verbo* fit, figuratè *lavacrum* dici: Paulus enim ad Ephes. cap. 5. ver. 26. scribit, *Christum sanctificâsse Ecclesiam suam, eâ purgatâ lavacro aquæ in verbo.* i.e. per verbum: Et Autor ad Hebr. hortatur eos, qui Christo nomen jampridem dederant, nec ampliùs Aquæ Baptismo egebant, ut *corda aspersa haberent à conscientiâ malâ, & corpus ablutum aquâ mundâ.* Hebr. 10. 22. *Denique,* ipse Apostolus eodem loco ipso, quem præ manibus habemus, seipsum explicat, quid per *lavacrum regenerationis* intelligat, ea verba subjiciens, quæ superioribus lucem afferunt, *& renovationem Spiritûs sancti.* Hanc autem particulam [*&*] tantum valere posse, quemadmodum [*hoc est*] superiùs demonstravimus.

At de illis verbis Ananiæ Paulum compellantis; Act. 22. 16. Surge, Baptizare,

Baptizare, ablue peccata tua, *quid statuendum est?*

Tenendum id prorsùs est, quod etiam multis aliis locis Scripturæ lucem afferre poterit: Cùm in Scripturis N. Fœderis actui, vel cerimoniæ exteriori id asscribitur, quod ad salutem prorsus pertinet, nullâ ratione eò id fieri, ac si cerimonia illa exterior eam vim haberet: sed eò, quòd actu illo duntaxat adumbratio quædam rei illius, quæ ad salutem prorsus pertinet, fiat. Ità cùm dicitur, *Calix benedictionis, quem benedicimus, nónne est communio sanguinis Christi? Et panis, quem frangimus, nónne est communio corporis Christi?* 1 Cor. 10. 16. Et alibi: *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Gal. 3. 27. Atque hâc ratione Ananiæ verba & intelligi possunt, & debent. Etsi ad *eum* quoque *modum* accipi possunt, Ananiam non id egisse, ut Paulus per Baptismum Aquæ peccata ablueret; verùm ut baptizaretur, & peccata ablueret invocando nomen Domini: cùm tempus jam illud venisset, quo omnis invocans Dominum

minum servandus esset. Act. 2. ver. 21. Rom. 10. 13.

Nónne ipse Servator Christus cum Nicodemo agit de Aquæ Baptismo? Joan. 3. 5.

Nullo modo: Etenim illic agit Dom. de *generatione* supernâ, i.e. cœlesti: *Præterea*, de ejusmodi generatione, sine quâ nemo in cœlum intrare potest; quod dici non posse de *Aquæ Baptismo* ipsa ratio indicat. Quod verò illic ait de *aqua* & *Spiritu*; ea non esse diversa, verùm per *aquam* ipsum *spiritum*, vel aquam spiritualem intelligi, ex eo videtur planum esse, quòd ea particula [*&*] hoc loco significare possit [*id est*] ut in simili oratione significare videmus, ubi dicitur; quòd Christus *baptizaturus esset Spiritu & igne.* Atque ideò etiam Christus in eodem colloquii progressu, nullam amplius *aquæ*, sed tantùm *spiritûs* mentionem facit.

Caput

Cap. V.

De Promisso Vitæ æternæ.

EXposuisti mihi perfecta Christi mandata: illius quoque promissa exponi velim.

Maximum omnium, & quod omnia in se comprehendit, est *vita æterna*: verùm etiam *aliud* supereſt, ad *prius* obtinendum vehementer pertinens.

Quod verò istud est?

Donum Spiritûs Sancti.

At nónne eadem promissa *comprehensa fuére in Lege Mosis?*

Imò nullum illorum comprehensum fuit: Etenim nusquam in Lege Mosis reperies, vel *vitam æternam*, vel *donum Spiritûs Sancti*, obedientibus præceptis Legis promissum, quemadmodum in Lege per Christum datâ promissa esse constat.

Attamen

Attamen prorsus aliquam spem æternæ vitæ *in Dei populo* ante Christum *fuisse apparet.*

Nihil obstat *sperare* quidpiam, etiamsi promisso Dei careas, modò res ea sit summopere expetenda, & ejusmodi, quam credibile erat Deum cultoribus suis daturum. *Vitâ* verò *æternâ* nec magis est quicquam expetendum, nec est quicquam credibilius, quàm Deum cultoribus suis eam daturum, tanquam mercedem, quæ ipsius personæ vehementer conveniat, sine quâ, cætera bona, etiamsi à Deo proficiscantur, vix sint digna divinæ mercedis nomine.

Id verò quamobrem?

Duabus de *caussis*; *primùm*, quòd non tam ipsum bonum, quàm illius perpetuitas, divinum quiddam habere videatur: *Deinde*, quòd constet aliorum bonorum, exceptâ vitâ æternâ, esse participes etiam eos, qui Deo non serviunt, imò eum blasphemant.

Habiturine sunt vitam æternam *ii, qui eam sperârunt, licèt iis promissa non fuerit?*

Prorsus;

Prorsus; at non omnes, verùm ii qui ex animo Deum coluerunt, & dicto audientes ei fuere. Nec enim obstat quicquam quò minùs plus præstet, quàm promiserit Deus. Et Christus id apertè docet, Luc. 20. 37. 38. cùm è verbis ipsius Dei & verè & subtiliter ratiocinatur, Abrahamum, Isaacum & Jacobum resurrecturos à mortuis, & victuros: quem imitatus autor ad Hebr. ait, Heb. 11 16 *Deum non erubescere vocari ipsorum Deum, eò quòd paraverit iis urbem, &* eos æternùm victuros statuerit.

Si Deus daturus erat vitam æternam *illis hominibus, cur eam non promisit?*

Tam excellens promissum distulerat Deus in tempus, quod noverat opportunum, ut tantò evidentiùs appareret omnibus, tam excellens bonum esse proprium ipsius munus, è merâ benignitate ipsius profluens.

Nónne in novo Fœdere præter vitam æternam, *sunt etiam* vitæ hujus promissa *facta?*

Scriptura sanè testatur, *pietatem* etiam sub novo Fœdere *promissionem habere* non

futuræ solùm; verùm etiam *præsentis vitæ*, 1. Tim. 4. 8. Ac etiam si quis Christi caussâ, & Euangelii ejus omnia relinquat, eum centuplicia in hâc vitâ recepturum cum persecutiones, & in seculo futuro vitam æternam. Mar. 10. 29. 30.

Ergò quoad promissa vitæ præsentis *exæquatum est Novum Fœdus veteri?*

Cùm in aliis Scripturis constet, hominem Christianum acquiescere debere iis tantùm, quæ ad vitam tuendam sunt necessaria, 1 Tim. 6. 8. apparet *promissa vitæ hujus* sub N. Fœdere facta, etiam plenissima & ubertima, sic accipi debere, nè Christiano homini desit quicquam, quod ad hanc vitam tuendam necessariò requiratur: Verùm sub Veteri Fœdere, non solùm quærere licuit, & possidere plura, quàm vitæ hujus usus requireret, sed etiam è superfluo, voluptates & alia, sine quibus esse in hâc vitâ possumus, parare; modò id sine alterius fieret injuriâ. Propterea *promissa vitæ hujus* sub Veteri Fœdere, non contrahenda sunt, sed ut verba sonant, accipienda. Unde etiam cernere est, *vitam*

æternam in Veteri Fœdere non fuisse promissam; alioquin N. Fœdus non haberet præstantiora promissa, quàm habebat Vetus, contra quàm superiùs docuimus.

Caput VI.

De Promisso Spiritûs Sancti.

EXpone mihi alterum *promissum, & explica quid sit* donum Spiritûs Sancti.

Donum Spiritûs Sancti in N. Fœdere promissum, *duplex* est; unum *perpetuò manens*, alterum *ad tempus*, quod *visibile* fuit, ut illud *invisibile*.

Quod verò est ad tempus concessum, *idque* aspectabile donum?

Est *donum* edendorum aut possidendorum *miraculorum*, quod ab initio in Christum credentibus manifestè dabatur.

Cur verò donum id non semper duravit?

Propterea quòd ad confirmandum N.

Fœdus concessum fuit, quod ubi satis Deo confirmatum visum est, ejus arbitrio & consilio desiit.

Quid verò per hæc verba tibi vis, satis fuisse N. Fœdus confirmatum?

Id volo, eos qui ad credendum Evangelio apti fuere, ex eo quod ad confirmationem Fœderis factum erat, satis in posterum ut crederent, habuisse.

Quinam verò sunt ii apti?

Qui vel animi probitate præditi sunt, vel ab eâ non alieni: Etenim noluit Deus, ut ii, qui ex eorum genere non essent, causam rejiciendæ Christi Doctrinæ nullam haberent; non habituri, si ea confirmatio perpetua fuisset: nec enim quisquam tam improbus fuisset, qui doctrinam Christi pro verâ non agnovisset, atque eam non tam virtutis & pietatis amore, quàm illius expetendi boni, vitæ nempe æternæ, quam Christus suis promittit, desiderio inflammatus atque incitatus, amplexus fuisset. Quo factum fuisset, ut in religione Christianâ, quæ Dei consilio improbos à probis erat secretura, discrimen inter bonos & malos nullum appareret.

Dic

Dic igitur mihi, quod eſt Spiritûs Sancti donum perpetuò manens?

Antequam id exponam, demonſtrandum eſt, ſub N. Fœdere eſſe quoddam *Spiritûs Sancti donum*, quod perpetuò, hoc eſt, omni tempore, in Chriſti Eccleſiâ duret.

Imò id à te peto.

Sic igitur habeto; præter alia teſtimonia, ex illis verbis id perſpicuum haberi, Luc. 11. 13. Deum filiis ſuis, id ab eo contendentibus, ſpiritum ſuum dare, & ſemper dare velle.

Quid verò is Spiritus Sanctus *eſt?*

Ut faciliùs intelligas, quid is ſit *Spiritus S.* ſic habeto. *Primùm*, in Scripturis N. Fœderis *Spiritûs S.* voce deſignari ipſum Jeſu Chriſti Evangelium, ut locus 1 Cor. 2. 10. apertè indicat, ſi cum loco 2 Tim. 1. 10. conferatur. Quod enim in primo loco ait Apoſtolus, *Deum nobis revelâſſe per Spiritum ſuum*, idem Apoſtolus in altero loco inquit, *Chriſtum illuminâſſe per Evangelium*: id verò eſt vita æterna, & eam conſequendi via

atque ratio. Vocatur autem Evangelium *Spiritus*, *partim*, quod in eo contenta ab ipso Deo sunt patefacta, nec ullo modo ingenio humano indagari, nec investigari potuêre : *partim*, quòd hominis Spiritum respiciant, & nos spirituales reddant, quod Lex non habuit. *Præterea*, etiam Apostolus seipsum 2 Cor. 3. 6. *Ministrum non literæ*, i. e. *legis*; *sed spiritûs*, aut N. Fœderis vocat. Quo sensu cùm accipitur vox *Spiritûs sancti*, tum omnibus datur quibuscunque annunciatur Evangelium. *Deinde*, ea vox *Spiritûs S.* designat Dei donum, quod certis hominibus datur, quod cùm à Scripturâ vocetur *Arrha*, aut etiam *Arrha hæreditatis nostræ*, 2 Cor. 1. 22. & 5. 5. Ephes. 1. 14. & simul de eo dicitur, quòd *in corda nostra infundatur*, hinc necessariò efficitur, nihil aliud esse, quàm firmam & certam vitæ æternæ nobis promissæ spem, cujus in cordibus nostris gustum sensúmque percipiamus.

Nónne eam spem vitæ æternæ concipimus per ipsam Evangelii prædicationem?

Sanè concipimus aliquo modo: Etenim

ex

ex ipsa prædicatione Evangelii, ipsa spes vitæ æternæ acquiri potest, quæ in ea est promissa; (alioquin cur promitteretur?) veruntamen ad inferendam animis nostris firmam & certam spem, cujus virtute in omnibus tentationibus invicti in fide subsistamus, videtur necessariò requiri, ut ea promissio, *exteriùs* per Evangelium proposita, *interiùs* à Deo in cordibus nostris obsignetur.

Omnibúsne illa interior obsignatio *contingit, quibus* exterior, *hoc est, quibus Evangelium annunciatur?*

Nequaquam; verùm iis tantùm, qui Evangelio sibi annunciato crediderint, & exteriorem illam rationem, quam Deus in confirmandâ promissione vitæ æternæ adhibet, amplexi, eóque usi, quemadmodum oportet, fuerint: Etenim si illud donum Spiritûs S. quod *ad tempus* duravit, non dabatur nisi credentibus Evangelio; multò magis id Spiritûs S. donum, quod *perpetuum* est, aliis non dari statuendum est, nisi qui & Evangelio planè crediderint, & illud ex animo amplexi fuerint.

Nónne ad credendum Evangelio,

Spiritûs S. interiore dono *opus est?* Nullo modo; nec enim in Scripturis legimus, cuiquam id conferri donum, nisi credenti Evangelio.

Postquam exposuisti mihi quodnam sit donum Spiritûs S. *velim etiam doceri, an* Spiritus S. *sit persona deitatis?*

Spiritum S. non esse in deitate *personam*, hinc discere potes; *primùm*, quòd ea quæ Spiritui S. in Scripturis attribuuntur, nullâ prorsus ratione personæ conveniant; ut sunt, *quòd detur*, quòd *ex eo detur*, ídque aut *secundùm mensuram*, aut *absque omni mensurâ*, quòd *effundatur ipse*, & *ex ipso effundatur*, & quòd *eo potentur homines*, quòd *augeatur*, *in duplo detur*, *in partes distribuatur*, *tollatur ipse*, & *ex ipso tollatur*, quòd *interdum sit*, *interdum non sit*, denique, quòd *exstinguatur*; & similia multa in Scripturis exstant. Act. 5. 32. 1 Joan. 4. 13. Ephes. 4. ver. 7. Joan. 3. 34. Act. 2. 17, & 33. 1 Cor. 12. 13. Ephes. 5. 18. 2 Reg. 2. 9. Joan. 7. 39. 1 Thess. 5. 19. *Deinde*, idem ex eo patet, quòd non sit extra Deum naturâ, sed in ipso Deo. Nisi enim naturâ

râ Deo ineſſet, non potuiſſet Paulus Spiritum Dei cum ſpiritu hominis, qui homini ineſt naturâ conferre; ídque eo in loco, 1 Cor. 2. 11. ubi ait, *Quis hominum novit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui eſt in homine; ità quæ ſunt Dei nemo novit, niſi Spiritus Dei:* Quoniam verò Spiritus S. in Deo eſt, nec tamen in Spiritu S. reciprocè dici poteſt eſſe Deum, hinc apparet Spiritum Sanctum non eſſe perſonam. *Præterea,* cùm ſuperiùs demonſtratum ſit, unam tantùm eſſe in Deitate perſonam, & Spiritus S. *Dei virtus* ſit, ut verba Chriſti ad Apoſtolos indicant, *Vos verò manete in urbe Hieruſalem, donec induamini virtute ex alto,* Luc. 24. 49. efficitur Spiritum S. non eſſe perſonam divinam. *Denique,* ſi Spiritus S. eſſet perſona, eſſentiam quoque divinam eum habere oporteret; nam ea attribuuntur illi, quæ propria ſunt eſſentiæ divinæ; at ſuperiùs docuimus ſubſtantiam divinam unam eſſe numero, nec tribus perſonis eſſe poſſe communem. Quamobrem Spiritum S. non eſſe Deitatis perſonam planum eſt.

Quî verò ii Scripturæ loci accipiendi sunt, in quibus Spiritui S. actiones personarum propriæ, & ad Deum ipsum spectantes, attribuuntur?

Ad eum modum, quòd in Scripturis rebus id attribuatur sæpenumerò, quod personarum est, neque tamen res illæ propterea personæ censentur: ut peccato, quòd *deceperit*, quòd *occiderit*, Rom. 7.11. Et Legi, quòd *loquatur*, Rom. 3. 19. Et Scripturæ, quòd *prospiciat* & *prænunciet*, Gal. 3.8. Et Charitati, quòd *sit longanimis & benigna, non invideat, non sit morosa, non insletur, non agat indecorè, non quærat quæ ipsius sunt, non irritetur, non cogitet malum, non gaudeat super injustitiâ, congaudeat veritati, omnia ferat, omnia credat, omnia speret, omnia sustineat*, 1 Cor. 13,4,5,6,7. *Denique*, Spiritui, i.e. *vento*, quòd *spiret ubi velit, & vocem ejus audias, verùm unde veniat, & quò vadat ignores?* Quoniam verò Spiritus S. *virtus Dei* est, hinc fit, ut ea quæ Dei sunt, Spiritui S. attribuantur; & sub nomine *Spiritûs S.* sæpe Deus ipse intelligatur, quatenus suam virtutem Deus per Spiritum suum exerit.

Quî

Qui verò ait Spiritum S. esse Dei virtutem, *cùm distincte nominantur* Spiritus S. & virtus altissimi, *in illis Angeli ad Mariam virginem verbis*, Luc. 1. 35.

Sæpiùs in Scripturis una eademque res duabus diversis vocibus exprimi solet, ut tantò sit certior & evidentior; cujus rei exemplum habes Matth. 3. v. 11. Luc. 3. 16. ubi de Christo scribitur, eum *baptizaturum Spiritu S. & igne.* Quod tamen apud Marcum scriptum simpliciter exstat, *baptizaturum Spiritu S.* Mar. 1. ver. 8.

Caput VII.

De Confirmatione divinæ Voluntatis.

Quemadmodum Jesus divinam Voluntatem nobis patefecerit, *declaratum est: ut* confirmavit *declarari amplius velim.*

Quòd ad ea attinet, quæ Christus ipse ad

ad *confirmandum* divinam voluntatem, quam *patefecerat*, fecit, ea *tria* occurrunt. Absoluta *vitæ innocentia*, *miracula* admodum magna & innumera, & *mors*; quemadmodum ex illo testimonio Joannis, ut alia prætereamus, cernere est, in quo Joannes ait: *Tres sunt qui testantur super terram, spiritus, aqua & sanguis*, 1 Joan. 5. 8. Etenim sine dubio voce *spiritûs*, Dei Spiritus designatur, cujus virtute illa mirabilia facta constant: *Aquâ* verò illius vitæ puritas, quemadmodum *sanguine* ipsius mors notatur.

Quæ verò fuit innocentia vitæ Jesu Christi, *& quî per eam voluntas Dei confirmata fuit?*

Innocentia vitæ ipsius tanta erat, ut non solùm peccatum nullum designaverit, nec dolus inventus sit in ore ipsius, nec peccati ullius convinci potuerit; verùm adeò sanctè vixit, ut nec ante eum, nec post eum, quisquam eum sanctitate æquârit: adeò ut ad ipsum Deum sanctimoniâ proximè accederet, Deóque hâc magnopere similis esset: unde efficitur, doctrinam ab eo allatam fuisse verissimam. *Qualia*

Qualia verò miracula *fuére, & quomodo ea divinam voluntatem confirmant?*

Tanta miracula fuere, qualia nemo ante ipsum patravit; & *tot*, ut Joannes scribere non dubitârit, *si sigillatim descripta fuissent, nè mundum quidem libros ipsos capturum fuisse*, Joan. 15. 24. Joan. 21. 25. Ad eum verò modum confirmatur iis Dei voluntas, quòd tantam virtutem patrandi miracula, quæ prorsus divina esse oportuit, Deus nunquam alii, nisi qui ab eo esset, collaturus fuisset.

CAPUT

Caput VIII.

De Morte Christi.

Qualis verò fuit Mors ipsius, *& quâ ratione voluntas Dei per eam confirmata est?*

Ejusmodi, quam variæ afflictiones præcesserant, & quæ per se fuit atrocissima, & ignominiosissima; adeò ut Scriptura testetur, eum propterea fuisse fratribus in omnibus similem, Heb. 2. 17.

Quare Scriptura testatur de Christo, eum fuisse sepultum, *neq; in sepulcro Deum ipsius oblitum fuisse?*

Propterea, ut appareat eum verè mortuum fuisse, nec tamen in morte relictum: atque ad eum modum credentes spem haberent, etiamsi ab ipsa morte absorbeantur, non tamen se perituros.

At cur necesse erat Christum tot pati, & tam atrocem mortem subire?

Eò quòd ab ipso servandi iisdem afflictionibus, & morti ejusmodi plerunque sunt obnoxii.

At

At quæ cauſſa erat eaſdem afflictiones, & mortem Servatori Chriſto perferendi, quibus credentes ſunt obnoxii?

Duæ ejus rei exſtitere *cauſſæ*, quemadmodum *duplici* ratione Chriſtus etiam ſuos ſervat; *primùm* enim exemplo ſuo, ut in ſalutis viâ, quam ſunt ingreſſi, perſiſtant, ſuos movet: *Deinde*, iiſdem in omni tentationum, laborum & periculorum certamine adeſt, opitulatur, & tandem ab ipsâ æternâ morte liberat. Verùm quâ ratione Chriſtus, ſuo ipſius exemplo credentes, ad perſiſtendum in illa ſingulari pietate & innocentiâ, ſine quâ ſervari nequeunt, movere potuiſſet, niſi atrocem mortem, quæ pietatem facilè comitari ſolet, guſtâſſet? aut quî curam ſuorum in tentationibus & periculis, inſque ab omnibus malis liberandis, tantam gerere potuiſſet, niſi quantopere graves, & naturæ humanæ per ſe intolerabiles eſſent, ipſe expertus eſſet? Atque hæc approbare videntur illa Petri Apoſtoli; 1 Pet. 2. 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia*

stigia ejus. Et illa quæ Hebr. 2. 18. habentur; *Christus in eo, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* Et inferiùs in eâdem Epist. cap. 4. 15. *Potest nobiscum ferre infirmitates, tentatus per omnia in similitudinem.*

Nónne Deus facere poterat, nè credentes afflictionibus & atroci morti forent obnoxii?

Poterat quidem, si rerum naturam mutare voluisset: verùm hæc Deus non facit, nisi interdum, idque rarò admodum, atque in rebus quibusdam singularibus, & ad tempus: verùm non semper, neque communiter, quemadmodum hìc prorsus opus fuisset, si credentes in Christum afflictionibus & morti exemptos voluisset.

Cur autem id prorsus necesse fuisset? Idcirco, quòd credentes in Christum præditi sint singulari pietate & vitæ innocentiâ, & quòd non liceat eis de quoquam vindictam expetere: quorum *alterum* naturâ suâ efficit, ut omnium malorum odio sint expositi, & ità graviter ab iis affligantur, ac etiam morti, ſicubi

ſicubi occaſio vel opportunitas invitaverit, ſubjiciantur: *Alterum* verò magis eſt etiam malis incitamento, & facultatem ſuppeditat iſta omnia ad finem perducendi.

Quî verò ſanguis aut mors Chriſti nobis voluntatem Dei confirmavit? *Duplici* ratione; *Primùm*, quòd nos manifeſtè de ingenti in nos Dei charitate certos reddiderit, Joan. 3.16. Rom. 5. 8. ídque adeò, quòd Deus velit nobis id donare, quod in N. Fœdere promittit: unde etiam *ſanguis N. Fœderis* eſt dictus, *qui præſtantiora loquatur, quàm ſanguis Abel*, Heb. 13.20. & 12.24. Et ipſe Chriſtus *teſtis verax & fidelis* dictus eſt, Apoc. 1.5. & 3.14. *Deinde*, quòd reſurrectione Chriſti, quæ non niſi morte ipſius interveniente fieri potuit, de reſurrectione noſtrâ, & porrò vitâ æternâ conſequendâ, certiores facti ſimus, ſi præceptis Domini Jeſu pareamus.

Expone eam rem fuſiùs; quâ ratione reſurrectione Chriſti, *atque ad eum modum ipſius* morte, *de* reſurrectione noſtrâ *ac vitâ æternâ confirmati ſimus.*

Primùm,

Primùm, morte Christi & resurrectione certi sumus facti de nostra resurrectione ad eum modum, quòd in exemplo Christi propositum id nobis spectemus, eos, qui Deo obtemperant, è quovis mortis, quantumvis atrocis, genere liberari. *Deinde*, quod jam prorsus nobis constet, Christum eam consecutum esse potestatem, quâ possit suis, *i.e.* iis qui ipsi parent, vitam æternam donare. Etenim resurrectio Christi, mortem ejus subsecuta, ejusmodi erat, ut ex mortuis resuscitatus, potestatem omnem in cœlo & in terrâ consequutus sit.

Quâ ratione ea Christi potestas, quam morte intervenient Christus consecutus est, nos magis de promissione Dei certos reddit, quàm si eâ Christus careret?

Duplici ratione: *Primùm*, quòd jam videamus quoddam principium impletionis ipsius Dei promissionis; præsertim quòd Deus nominatim promisit, ipsum Christum nos à morte liberaturum, & daturum nobis vitam æternam: *Deinde*, quòd similiter videamus implendæ promissionis divinæ nobis factæ potestatem esse

esse in manu hujus, quem non pudet nos *fratres* appellare, & qui afflictiones omnes, quibus nos expositos esse oportet, ut ei parere velimus, gustavit; eóque potest nostrî misereri, & infirmitatum nostrarum sensu affici, utì eâ de re superiùs disseruimus.

Hinc igitur perspicio longè plus in resurrectione, *quàm in* Christi morte *situm esse, in nostræ salutis negotio.*

Ità prorsus res habet; adeum enim modum eâ de re testantur Sacræ Literæ, Rom. 5. 10. *Si enim inimici Dei cùm essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.* Et rursus, Rom. 8. 34. *Quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus est, magis verò & excitatus, qui etiam est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Cur verò ità crebrò omnia hæc morti Christi *asscribit Scriptura?*

Propterea, quòd mors via ad resurrectionem & exaltationem Christi fuerit, adeò, ut sine ea, secundùm Dei decretum, pervenire ad illa non potuerit. *Deinde,* quòd

quòd ex omnibus, quæ Deus & Christus nostræ salutis caussâ fecerunt, mors Christi potissimùm nobis Dei & Christi charitatem ostendat, & ante oculos ponat.

Nónne est etiam aliqua alia mortis Christi *caussa?*

Nulla prorsus; Etsi nunc vulgò Christiani sentiunt, Christum morte suâ nobis salutem *meruisse*, & pro peccatis nostris plenariè *satisfeciisse*; quæ sententia *fallax* est & *erronea*, & admodum *pernicioſa*.

Quâ ratione?

Quòd ad id, quòd *fallax* sit & *erronea* attinet, id hinc perspicuum est, quòd non solùm de ea nihil exstet in Scripturis; verùm etiam *Scripturis* & *sanæ rationi* repugnet.

Demonstra id ordine.

Id non haberi in Scripturis argumento est, quòd istius opinionis assertores nũquam perspicuas Scripturas afferunt ad approbandam istam opinionem: verùm quasdã consecutiones nectunt, quibus quod asserunt, efficere conantur; quas ut admittere æquum est, cùm ex Scripturis necessariò

necessariò adstruūtur, ità ubi Scripturis repugnant, eas nullam vim habere certum est.

Quî verò Scripturæ *repugnant?* Ad eum modum, quòd Scripturæ passim, Deum peccata hominibus gratuitò remittere, testentur, 2 Cor. 5.19. Rom. 3.24,25. potissimùm verò sub N: Fœdere, Eph. 2.8. Matth. 18. 23. & seq. At *remssioni gratuitæ* nihil adversatur magis, quàm *satisfactio*. Cui enim Creditori satisfit, vel ab ipso debitore, vel ab alio, debitoris nomine, de eo dici non potest verè, eum debitum gratuitò ex ipsa gratiâ remisisse.

Cedò, quî istud rationi repugnet? Id quidem hinc perspicuum est, quòd sequeretur Christum *æternâ mortem* subiisse, si Deo pro peccatis nostris *satisfeciſſet*; cùm constet, pœnam, quam homines peccatis meruerant, æternam mortem esse. *Deinde*, consequeretur, nos Christo, quàm Deo ipsi devinctiores esse, quippe qui *satisfactione* multum gratiæ nobis ostendisset. Deus verò exactâ *satisfactione* nullâ prorsus gratiâ nos prosecutus fuisset.

Cedò

Cedò etiam, quî hæc opinio est pernicioſa?

Ad eum modum, quòd hominibus feneſtram ad peccandi licentiam aperiat; aut certè ad ſocordiam in pietate colendâ eos invitet. Scriptura verò teſtatur, eum inter alios etiam Chriſti mortis finem eſſe, ut redimeremur ab omni iniquitate, ex hoc ſeculo nequam eriperemur, & redimeremur ex vana converſatione à patribus traditâ, & mundaremur conſcientiâ à mortuis operibus ad ſerviendum Deo viventi, Tit. 2. 14. Gal. 1. 4. 1 Pet. 1. 18. Heb. 9. 14.

Quânam verò ratione hanc ſuam opinionem tuentur?

Conantur *primùm, ratione* quâdam id efficere; *deinde, Scripturæ auctoritate.*

Quæ verò hæc Ratio *eſt?*

Aïunt in Deo juſtitiam & miſericordiam eſſe *naturalem:* ut verò eſt miſericordiæ peccata remittere; ità aïunt juſtitiæ eſſe proprium, quodvis peccatum punire. Cùm verò Deus vellet, ut miſericordiæ ipſius & juſtitiæ ſimul ſatisfieret, eam rationem invenie, ut Chriſtus loco noſtri mortem perferret; atq;

eo

eo modo justitiæ Dei *satisfaceret*, atque sic à naturâ humanâ *satisfieret* Deo, à quâ offensus fuerat.

Quid verò ad eam Rationem *respondes?*

Ea *Ratio* specie plausibilis est, reipsâ tamen nec veri, neque solidi quidquam habet. Etsi enim nos fateamur, & hinc summâ voluptate afficiamur, Deum nostrum esse misericordem mirum in modum, & justum; tamen eam misericordiam & justitiam, qualem hic adversarii nostri volunt, negamus Deo inesse *naturaliter*. Nam quòd attinet ad *misericordiam*, eam Deo non ità naturâ inesse, ut isti sentiunt, hinc patet; quòd si naturâ Deo inesset, non posset Deus ullum peccatum prorsus punire: atque vicissim, si ea justitia naturâ Deo inesset, ut illi opinantur, nullum peccatum Deus remitteret, sed semper illud puniret. Adversùs enim ea, quæ Deo insunt naturâ, nunquam potest quidquam facere Deus. Exempli causâ; cùm sapientia Deo insit naturâ, nunquam contrà eam quidquam Deus facit, verùm quæcunque facit, omnia facit sapi-

enter

enter. Verùm cùm Deum constet remittere peccata & punire quando velit, apparet Deo ejusmodi misericordiam & justitiam, qualem illi opinantur, non ineſſe naturâ, ſed eſſe effectus ipſius voluntatis. *Præterea*, eam *justitiam*, quam adverſarii misericordiæ opponunt, quâ Deus peccata punit, nusquam literæ ſacræ hoc nomine *justitiæ* insigniunt, verùm *iram* & *furorem* Dei appellant: imò justitiæ Dei in Scripturis hoc attribuitur, cùm Deus peccata condonat, 1 Joan. 1. 9. Rom 3. 25, 26.

Quæ verò tua eſt eâ de re ſententia? Ea nimirum, cùm eam misericordiam & justitiam, quas adverſarii ineſſe Deo naturâ opinentur, Deo non ineſſe naturâ docuerimus, nullo modo opus fuiſſe eâ ratione, quâ misericordiæ iſti & justitiæ ſatisfieret, & quâ, veluti temperamento quodam, in Deo inter ſe conciliarentur. Equidem non diffitemur, justitiam eſſe Deo naturalem, verùm eam, quæ *rectitudo* nominatur, & pravitati opponitur. Atq; ea quidem in omnibus Dei operibus elucet, unde eadem omnia, juſta & recta & perfecta apparent, idque

non

non minùs cùm Deus peccata remittit, quàm cùm eadem punit.

Quæ verò sunt Scripturæ, *è quibus illi opinionem suam adstruere conantur?*

Eæ, quæ testantur Christum vel *pro nobis*, vel *pro peccatis nostris mortuum. Deinde*, quòd nos *redemit*, aut *dedit semetipsum & animam suam redemptionem pro multis: Tum*, quòd *noster Mediator* est. Porrò, quòd nos *reconciliârit Deo*, & *sit propitiatio pro peccatis nostris. Denique*, ex illis *sacrificiis*, quæ mortem Christi, seu figuræ adumbraverunt.

Quî ad hæc loca respondes?

Quod attinet ad illa testimonia, in quibus habetur *Christum pro nobis mortuum*, ex iis *satisfactionem* adstrui necessariò non posse, hinc manifestum est, quòd Scriptura testetur, etiam nos *pro fratribus animas ponere debere*; 1 Jo. 3. 16. Et Paulus de se scribat, Col. 1. 24. *Nunc gaudeo in afflictionibus meis pro vobis, & suppleo reliquias afflictionum Christi pro corpore ejus, quæ est Ecclesia.* Certum autem est, nec fideles pro fratribus cuiquam satisfacere, neque Paulum cui-

quam pro Ecclesia satisfeciſſet.

At horum verborum, Christum pro nobis esse mortuum, *qui sensus est?* Is, quòd hæc verba [*pro nobis*] non significent *loco vel vice nostrî*; verùm *propter nos*; uti etiam Apostolus 1 Cor. 8. 11. expressè loquitur. Quod etiam similia verba indicant, cùm Scriptura loquitur, pro peccatis nostris mortuum esse Christum: quæ verba eum sensum habere nequeunt, *loco* seu *vice nostrorum peccatorum* mortuum esse, verùm *propter peccata nostra* esse mortuum; uti Rom. 4. 25. manifestè scriptum legimus. Ea porrò verba [*Christum pro nobis mortuum esse*] hanc habent vim, eum idcirco mortuum, ut nos salutem æternam, quam is nobis cœlitus attulit, amplecteremur & consequemur, quod quâ ratione fiat, paullò superiùs accepisti.

Quid verò ad ea testimonia, quæ nos à Christo *testantur* redemptos, *respondes?*

E verbo *redimendi* non posse effici *satisfactionem* hanc, hinc est planum, quòd de ipso Deo & in novo & in prisco fœdere scribatur, *eum redemisse populum*

suum

ſuum ex Ægypto, eum feciſſe redemptionem populo ſuo. Deinde, quòd ſcriptum ſit, quòd Deus *redemerit* Abrahamum, Iſa. 29, 22. & Davidem, Pſal. 31. 6. & quòd Moſes fuerit *Redemptor*, Act. 7. 35. & quòd ſimus *redempti è noſtris iniquitatibus*, Tit. 2. 14. aut *è vanâ converſatione noſtrâ*, 2 Pet. 1. 18. aut *è maledictione legis*, Gal. 3. 13. Certum autem eſt Deum nemini ſatisfeciſſe, nec verò iniquitatibus, aut converſationi vanæ, aut legi ſatisfactum dici poſſe.

Quam autem vim ea verba putas habere, quòd Jeſus nos redemerit, *&* ſeipſum pretium Redemptionis *dederit?*

Vox *Redemptionis* ſimpliciter liberationem notat. *Porrò*, de Chriſti morte dicitur, quòd nos per eam liberaverit; quòd eâ interveniente liberationem conſequuti ſimus, & ab ipſis peccatis, nè eis ampliùs ſerviamus, & ab eorum pœnâ, ut è faucibus æternæ mortis erepti in perpetuum vivamus.

Cur verò ea noſtra liberatio *voce* Redemptionis *exprimitur?*

Propterea, quòd maxima interveniat ſi-

militudo inter *liberationem* & *redemptionem* propriè acceptam: ut enim in propriè acceptâ redemptione, oportet esse captivum, & eum qui captivum detineat; tum redemptionem; denique redemptionis pretium: ità in nostrâ liberatione est homo captivus; qui hominem captivum detinent, sunt peccatum, mundus, diabolus, mors: Est præterea Deus & Christus captivi redemptor; denique redemptionis pretium ipse Christus, vel anima ipsius à Deo & ipso Christo impensa: tantùm eò differt, quòd in nostrâ hâc liberatione, nemo est qui accipiat aliquid liberationis nomine, quod in verâ redemptione semper inveniri necesse est.

Cur verò Spiritus sanctus voce metaphoricâ *potiùs, quàm* propriâ *utitur?*

Propterea, quòd hac voce *metaphoricâ*, charitas & labor Dei & Christi in liberatione nostrâ ostensus, exprimatur disertiùs: liberatio enim contingere potest sine charitate; at tam insignis redemptio sine charitate confici nullo modo potuit.

Quid

Quid ad hæc dicis, quòd Christus sit mediator inter Deum & homines, *aut N. Fœderis?*

Cùm legatur Moses fuisse *Mediator*, Gal. 3. 19. (putà inter Deum & populum Israël, aut prisci fœderis) neque eum satisfeciisse Deo ullo modo constet, nè hinc quidem, quòd Mediator Dei & hominum Christus sit, colligi certò poterit, eum *satisfactionem* aliquam, quâ Deo pro peccatis nostris satisfieret, peregisse.

Cur Christo nomen Mediatoris *Scriptura tribuit?*

Propterea, quòd Fœdus Novum ídque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit, & omnem Dei voluntatem, per quam aditus nobis ad Deum patefactus est, exposuerit.

Ad hæc verò, quòd nos Deo reconciliârit, *quid affers?*

Primùm, nusquam Scripturam asserere, Deum nobis à Christo *reconciliatum*; verùm id tantùm, quòd nos per Christum, aut mortem ejus, simus reconciliati, vel Deo reconciliati, ut ex omnibus locis quæ de hac reconciliatione agunt, vi-

dere est. Quare nullo modo ex iis omnibus locis ea satisfactio exstrui potest. *Deinde* verò, quòd apertè in Scripturis exstat, *Deum nos sibi reconciliâsse*, id opinionem Adversariorum prorsus falsum esse evincit, 2 Cor. 5. 18. Col. 1. 20, 22.

Quid verò de hac reconciliatione *sentis?*

Christum Jesum nobis, qui propter peccata nostra Dei inimici eramus, & ab eo abalienati, viam ostendisse, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat.

Ad ea verò quid respondes, Christum peccata nostra tulisse?

Nè hinc quidem istam adstrui *satisfactionem*, id argumento esse, quòd de Deo in Hebraïco textu scriptum sit, *ipsum esse qui misericordiam millibus servet, & portet iniquitatem & peccata*, Exod. 34. 7. Num. 14. 18. Et Matthæus cap. 8. 17. disertissimè ait, tum, cùm Christus multos morbos curâsset in populo, impletum fuisse illud per Isaiam scriptū; *Ille infirmitates nostras sustulit, & morbos portavit*, Isa. 53. 4. Nihilominus Deus

nec

nec pro peccatis cuiquam satisfecit, neque Christus pro morbis hominum.

Quid verò sibi volunt hæc verba? Id nimirum, quòd Christus omnia peccata & peccatorum pœnas à nobis abstulit, atq; si ea in regionem longè dissitam deportâsset, uti etiam Scriptura ait, *eum esse agnum Dei, qui tollat peccata mundi*; Joan. 1. 29. &, *oblatum esse semel, ut multorum peccata tolleret*, Heb. 9. 28.

Ad hæc verò, quòd Dominus Jesus propitiatio *vocetur, quid respondes?*

Hinc non exstrui necessariò *satisfactionem* vel id argumento est, quòd Scriptura tradat ipsum Deum proposuisse *propitiationem* Christum, uti Apostolus apertè loquitur, Rom. 3. 25. *Deinde*, ex eo, quòd etiam illud operculum Arcæ Dei *propitiatio*, seu *propitiatorium* sit vocatum, Heb. 9. 5. Exod. 25. 22. cùm nimis apertum sit, ipsum Deo nequaquam satisfeciisse. *Dénique*, aliud est *satisfacere* alicui, aliud cum *reddere propitium*; cùm is, qui propitius redditur, seu placatur, possit multum de jure suo remittere;

tere; cui verò satisfit, nullo pacto de jure suo remittit.

At eâ de re quæ tua est sententia?

Ea, quòd Deus in Christo mirum in modum se nobis propitium exhibuerit, & omnia, quæ nos scire voluit, per eum revelârit; maximè verò cùm filium suum in mortem dedit, unde Apostolus in loco superiùs citato adjecit; *in sanguine ipsius*, Heb. 9.12.

Quid verò ad ea testimonia respondes, in quibus traditur, illis sacrificiis prisci Fœderis mortem Christi figuratam *& adumbratam* fuisse?

Primùm tenendum est, non ipsa *sacrificia prisci Fœderis* mortem Christi figurâsse; verùm mactatio illius pecudis tantùm, quæ quotannis mactabatur, & cujus cum sanguine summus Pontifex in Sancta Sanctorum ingrediebatur, Christi mortem adumbrat; quæ ut non erat ipsum sacrificium, verùm quædam ad sacrificium præparatio, & illius inchoatio quædam; sacrificium verò ipsum tum peragi certum erat, cùm summus

Pontifex

Pontifex ingrediebatur cum illo sanguine in sancta sanctorum: ità etiam mors Christi non erat ipsum sacrificium, verùm quædam ad sacrificium præparatio, & sacrificii inchoatio. Sacrificium verò ipsum tum peractum fuit, cùm Christus in ipsum cœlum ingressus est, quâ de re inferiùs audies. *Præterea*, quamvis *illa sacrificia* mortem Christi figurâssent, hinc tamen non efficitur, Christi morte Deo fuisse satisfactum pro peccatis nostris, cùm nusquam testetur Scriptura, illa sacrificia eam vim habuisse, ut Deo pro peccatis satisfacerent. Et tamen necesse est inter *figuram* & *figuratum* aliquam similitudinem intervenire.

Quid verò de illis sacrificiis *sentis?*

Id *inprimis*, quòd per ea peccata populi Dei expiata fuere, i.e. gratiâ & Decreto Dei, accedentibus illis sacrificiis, peccata fuere remissa.

Cap. IX.

De Fide.

Intellexi ea quæ ex parte Dei ad Fœdus novum pertinent, expone etiam ea quæ ex parte nostrî ad idem videntur spectare.

Id, quod ex *parte nostrî* ad Fœdus novum spectat, est *Fides in Dominum Jesum Christum.*

Quid verò est Fides in Dominum Jesum Christum?

Hæc *duplici* ratione in Scriptura consideratur: *interdum* notat eam fidem, quam salus non consequitur necessariò. *Interdum* eam, quam salus necessariò consequitur.

Quæ verò est, quam salus non consequitur necessariò?

Est assensus tantùm, quo Jesu Christi doctrinam esse veram attestamur: quem non consequi prorsus salutem, apparet è Principibus illis, de quibus

Joan.

Joan. 12. 42. ait, *Multos in Dominum credidisse, verùm propter Pharisæos eum confiteri recusâsse, nè à Synagoga ejicerentur.*

Quæ verò est Fides, *quam* necessariò consequitur salus? Est Fiducia per Christum in Deum; unde apparet eam in Christum fidem *duo* comprehendere: *unum*, ut non solùm Deo, verùm & Christo confidamus. *Deinde*, ut Deo obtemperemus, non in iis solùm quæ in Lege per Mosen latâ præcepit, & per Christum abrogata non sunt, verùm etiam in iis omnibus quæ Christus legi addidit.

Ergò tu obedientiam *sub* Fide *comprehendis.*

Sic est, etenim res ipsa indicio est, neminem inveniri posse, qui spem certam vitæ æternæ animo concipiat, quam Christus tantùm sibi obtemperantibus promisit, qui non Christo dicto audiens sit: quandoquidem ejusmodi bonum est immortalitas, ut illud nemo sciens volens asspernari queat. *Præterea*, Jacob. apertissimè testatur, cap. 2. 26. *Ut corpus absque anima mortuum est,*

ità

ità sine operibus fidem mortuam esse. Et paullò superiùs idem ait, *ex operibus fidem Abrahæ fuisse consummatam*, ver. 22. Quapropter etiam in Scripturis homines pii & Deo obedientes duntaxat, *fideles* vocantur: quâ de re autor ad Hebr. cap. 11.

Cur verò Apostolus Paulus fidem operibus *opponit?* Rom. 3.23. & 4.5. Gal. 2.16. Eph. 2.8 9.

In iis locis, ubi Apostolus *fidem operibus* opponit, de operibus ejusmodi agit, quæ & perfectam & perpetuam obedientiam continent, qualem sub lege Deus ab hominibus requirebat: verùm non de iis operibus, quæ obedientiam, quam Deus à nobis, qui in Christum credidimus, requirat, comprehendunt.

Quæ verò est isthæc obedientia? Ea, ut *primùm* veterem hominem cum operibus ipsius exuentes, ab omni peccato anteacto desistamus, quam quidem rem Scriptura *pœnitentiam* vocat. *Deinde*, ut pro virili voluntatem Dei exequamur, adeò ut non secundùm carnem ambulemus, verùm spiritu opera carnis

carnis mortificemus. *In summa*, nullius peccati habitum contrahamus, omnium verò virtutum Christianarum habitus comparemus.

Caput X.

De Libero Arbitrio.

Estne id situm in nostra potestate ut ad eum modum Deo obtemperemus?

Prorsus; etenim certum est, *primum* hominem ità à Deo conditum fuisse, ut *libero arbitrio* præditus esset: nec verò ulla caussa subest, cur Deus post ejus *lapsum* illum eo privaret: ac neque justitia Dei admittit; nec etiam inter pœnas, quibus Adæ peccatum punivit Deus, ejusmodi pœnæ ulla mentio exstat.

Nónne peccato Originis *hoc* liberum arbitrium *vitiatum est?*

Peccatum Originis nullum prorsus est: quare nec *liberum arbitrium* vitiare potuit: nec enim è Scriptura id *peccatum originis*

originis doceri potest: Et *lapsus Adæ*, cùm unus actus fuerit, vim eam, quæ depravare ipsam naturam Adami, multò minùs verò posterorum ipsius posset, habere non potuit. Ipsi verò in pœnam irrogatum fuisse, nec Scriptura docet, uti superiùs exposuimus; & Deum illum, qui omnis æquitatis fons est, incredibile prorsus est, id facere voluisse.

Veruntamen esse peccatum Originis *illa testimonia docere videntur*, Gen. 6. 5. Omnis cogitatio cordis humani maligna solùm omni die: & Gen. 8. 21. Cogitatio cordis humani mala à pueritia suâ. Hæc testimonia agunt de peccato *voluntario*: Ex iis itaque effici nequit *peccatum Originis*. Quod enim ad *primum* attinet, Moses id peccatum ejusmodi fuisse docet, cujus caussâ pœnituisse Deum, quòd hominem creâsset, & eum diluvio punire decrevisset, apertè demonstrat: Quod certè de peccato, quod homini naturâ inesset, quale *peccatum Originis* censent, affirmari nullo pacto potest. In *altero* verò testimonio docet, peccatum hominis

minis eam vim habiturum non esse, ut Deus mundum diluvio propter illud puniret: quod etiam *peccato Originis* nullo modo convenit.

Quid verò eâ de re sentis, quod David ait Psal. 51. 7. quòd in iniquitate conceptus sit, & in peccato calefecerit eum mater ipsius?

Animadvertendum est, hîc Davidem non agere de quibusvis hominibus, sed de se tantùm: nec simpliciter, sed habitâ ratione lapsûs sui: & eo loquendi modo usum esse, cujus exemplum apud eundem Davidem habes Psal. 58. 4. *Aversi sunt ab utero impii, erraverunt à vulvâ falsiloqui*: Quamobrem nec eo testimonio effici prorsus potest *peccatum Originis*.

At Paulus Rom. 5. 12. *ait*, In Adamo omnes peccâsse.

Non habetur eo loco, *in Adam omnes peccâsse*; verùm in Græco verba sunt, ἐφ' ᾧ, quæ passim interpretes reddunt Latinè, *in quo*, quæ tamen reddi possunt per particulas *quoniam* aut *quatenus*, ut è locis similibus Rom. 8. 3. Phil. 3. 12. Heb. 2. 18. 2 Cor. 5. 4. videre est. Apparet

paret igitur neque ex eo loco exſtrui poſſe *peccatum Originis*.

Poſtquam igitur docuiſti, liberum arbitrium Originis peccato *vitiari non potuiſſe*; *expone porrò, quàm longè vis ipſa* liberi arbitrii *pateat.*

Communiter in hominibus naturâ exiguæ admodum ſunt vires, ad ea, quæ Deus ab illis requirit, perficiendum; at voluntas ad ea perficiendum omnibus adeſt naturâ: nihilo-minus tamen eæ vires, non ità prorſus exiguæ ſunt, ut homo, ſi vim ſibi facere velit, divino auxilio accedente, non poſſit voluntati divinæ obſecundare. Auxilium verò ſuum nemini Deus prorſus denegat ex iis, quibus voluntatem ſuam patefecit: alioquin Deus nec caſtigare, neque punire juſtè contumaces poſſet, quod tamen utrumque facit.

Quódnam eſt auxilium *iſtud* divinum? *Auxilium divinum* iſtud, *duplex* eſt; *interius, & exterius.*

Quod verò exterius *eſt?*

Sunt *promiſſa*, & *minæ*; quorum tamen *promiſſa* vim habent longè majorem.

Unde

Unde etiam, quòd sint sub Novo Fœdere longè præstantiora promissa quàm sub vetere fuerint, facilius est sub Novo, quàm sub vetere fœdere, voluntatem Dei facere.

Quod autem interius *?*

Id nimirum, cùm Deus, in cordibus eorum qui ipsi obediunt, quod promisit, obsignat.

Si liberum sit arbitrium, uti doces; cur igitur tot sunt, qui illud oppugnant?

Faciunt idcircò, quòd certa Scripturæ *testimonia* se habere opinentur, quibus efficere se posse confidant, nullam esse *liberum arbitrium*.

Quæ verò sunt ea testimonia?

Duplicis generis sunt; *alia* quidem ex quibus id efficere se posse sibi persuadent; *alia* verò, quibus expressè tolli *liberum arbitrium* putant.

Quæ verò sunt, è quibus id efficere conantur?

Ea omnia, quæ de *prædestinatione* Dei agunt.

Quænam eorum est de prædestinatione Dei *sententia?*

Ea,

Ea, quòd Deus ab æterno certos quosdam nominatim homines, ex omni hominum, quotquot unquam futuri essent, genere, sententiâ irrevocabili & immutabili prorsus, ad salutem elegerit & designaverit; alios verò omnes æternæ damnationi subjecerit; non eò quòd horum contumaciam, illorum verò obedientiam prospexerit; verùm eò quòd illi ità placuerit, & *Decretum* ipsius de utrisque prorsus immutabile sit.

Quid verò tu eâ de re censes?

Ea de *prædestinatione Dei* sententia prorsus fallax est; id verò *duas* ob causas potissimùm: quarum *una* est, quòd *totam religionem corruere* esset necesse; *altera*, quòd *Deo multa inconvenientia attribui* oporteret.

Cedò, quî hâc sententiâ admissâ,
Religio *prorsus* corrueret?

Id indè perspicuum est, quòd omnia ad pietatem & religionem spectantia *necessariò* nobis ineffent: quo admisso, quid juvaret anniti, & laborare, ut pii essemus? Omnis enim *conatus* & *studium* illic prorsus superfluum est, ubi omnia

fiunt

fiunt *necessariò*, ut ipsa ratio docet. At ex ipsa pietate & Religione conatu & studio sublato, pietatem & Religionem interire oporteret.

Ceùò etiam, quæ Deo inconvenientia attribuerentur, *si hæc sententia admitteretur?*

Ea sunt *quatuor* numero: *Primùm, injustitia*; etenim id nimis injustum esset, punire aliquem propterea quòd non fecerit, quod facere nullo modo potuit. At cùm Deus impios, & verbo suo refractarios punit, quid facit aliud, quàm eos punit, qui non faciunt, quod facere non possunt? Nam siquidem adversariorum sententia vera est, eos propter *immutabile* prorsus Dei *Decretum*, nè pios quidem & obtemperantes Deo esse posse ullâ ratione, nimis perspicuum est. *Secundum inconveniens* esset, *Hypocrisis cum deceptione conjuncta*: Etenim Deus Decreto suo magnâ, imò maximâ eorum parte, quibus Evangelium annunciatur, à salute exclusâ, omnibus nihilominus in illa Evangelii prædicatione salutem offert: & ità aliud agit, aliud simulat; quod propriè hypocritarum

rum est, & eorum qui dolo malo agunt: Et quod pejus est, facit illud in re tali, quâ alium maximopere circumveniri perspicuum est. *Tertium inconveniens foret, summa imprudentia*: Etenim videretur Deus ejus rei suscipere curam, quam certò novit non posse perfici. Quid verò ineptius, & quæ levitas major, quàm id curare, & præ se ferre quòd id summo studio perficere coneris, quod tibi certò constet, fieri nullâ posse ratione, & ità ludibrio teipsum exponere. *Quartum* est *pravitas*, quòd Deus ipse peccati autor constitueretur: Etenim cùm damnationem peccata præcedere prorsus oporteat, certè qui decrevit aliquem *necessariò* damnare, idem, ut is peccet, *necessariò* statuit.

Quî verò istam suam de istâ prædestinatione *sententiam tuentur?*

Conantur eam adstruere quibusdam *testimoniis* scripturæ, in quibus illud est præcipuum, ubi Apostolus ait: *Scimus, quòd iis, qui Deum amant, omnia cooperentur in bonum, qui secundùm propositum vocati sunt: Etenim quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui,*

ut

ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit : quos autem justificavit, illos & glorificavit, Rom. 8.28,29,30.

Quid verò ad id testimonium *respondendum est?*

Ut id *testimonium*, & similia in Scripturis intelligere possis, primùm declarandum tibi est, quid *Prædestinatio*, *Electio*, & *Vocatio* in Scripturis notet.

Id mihi exponi velim.

Prædestinatio Dei in Scripturis aliud nihil notat, quàm Dei ante conditum mundum de hominibus Decretum ejusmodi, Quòd iis, qui in ipsum crederent, eique obedirent, daturus esset vitam æternam; eos verò, qui in eum credere, & ei parere recusarent, æternâ damnatione punituros esset. Quod hinc appareret, quòd Christus divinæ voluntatis perfectus interpres, ità hoc Dei consilium atque Decretum nobis exposuerit, Eum, qui in ipsum crederet, vitam æternam certò habiturum esse; qui verò non crederet, eum certò condemnatum iri.

De

De Electione *verò quid aïs?*
Electio, cùm de salute nostrâ agitur, *duplicem* significationem in Scripturis habet: Etenim *interdum* ii qui assentiuntur prædicato Evangelio, dicuntur à Deo electi: *interdū* verò etiam ii, qui non solùm Evangelio assentiuntur; verùm etiam ex ipsius præscripto vitam instituunt, *Electi* vocantur. *Prioris* significationis exemplum habes, 1 Cor. 1. 26, 27. *Videtis vocationem vestram fratres, quòd non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed elegit Deus stulta mundi hujus, ut pudefaceret sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut pudefaceret fortia.* Ubi *Electio* & *Vocatio* pro eodem sumuntur. Alterius exemplum habes, Matth. 22. 14. ubi Christus ait, *Multos vocatos, paucos verò esse electos.* Utriusque verò exemplum habes in illis Apostoli Petri verbis, *Studete ut firmam vocationem & electionem vestram reddatis per opera bona*, 2 Pet. 1. 10. 11. ut quædam habent exemplaria.

At de Vocatione *quid aïs?*
Vocatio, cùm ad salutem nostram refertur, eadem significata habet in Scriptu-

ris

ris, quæ & Electio, ut è locis citatis apparet.

Quâ ratione verò ad illud testimonium *respondes?*

Ad eum modum, quòd hoc testimonium, ad *prædestinationem* adversæ partis adstruendam, nihil prorsus faciat. Siquidem pars adversa *prædestinationem* sine ulla prorsus bonorum operum ratione constituit; at Paulus hìc de ejusmodi Dei *prædestinatione* loquitur, quæ ejusmodi hominum rationem habet, qui Deum diligunt: & demonstrat, ejusmodi hominibus afflictiones nihil obesse, verùm etiam ad bonum opitulari. De his verò ait, *Eos vocatos esse secundùm propositum*, ut demonstret, eos demum secundùm propositum Dei Evangelio credidisse, & ad salutem prædestinatos esse, qui Deum diligant. Id verò in potestate hominis situm esse, superiùs expositum est.

Hunc igitur locum mihi explicari velim.

Simplex ejus loci sententia hæc est: Apostolum docere, iis hominibus, qui Deum diligant, & Evangelio Christi credi-

crediderunt, omnes afflictiones in bonum co-operari. Quod Apostolus eâ ratione demonstrare nititur, quòd ad ea omnia præfiniti sint, quæ Dominium ipsum perferre oportuit. Quemadmodum verò illa aditum ad immortalitatem Christo intercludere non potuerunt; ità nec eis illa eadem posse. Quod cùm demonstrâsset Apostolus, gradus quosdam describit, quibus immortalitatem homines consequuntur, explicans Deum, quos prædestinavit ut essent conformes in afflictionibus & immortalitate filio ipsius, hos per prædicationem Evangelii ad credentium Ecclesiam aggregare; *deinde*, ab omnibus peccatis liberatos justificare; *denique*, viâ quadam perfectiore ad immortalitatem & vitam æternam præscire.

Quæ verò sunt testimonia, *quibus illi expressè* liberum arbitrium *opinantur tolli?*

Ea spectant vel ad *omnes*, vel ad *certas* quasdam personas.

Quæ verò sunt quæ ad omnes *spectant?*

Sunt inter alia hæc: *Non est volentis, neque*

que currentis; sed miserentis Dei, Rom. 9. 16. & Joan. 6. 44. ubi Jesus ait, *Nemo venit ad me, nisi eum traxerit, qui misit me, pater.* & quod Lucas ait, *Crediderunt quotquot ordinati fuerunt ad vitam æternam*, Act. 13. 48.

Quid a primum *locum respondes?* Non agit eo loco Apostolus de voluntate atque conatu præceptis Dei obediendi, cùm id Scripturis omnibus repugnet, quæ vix aliquid crebriùs inculcant, quàm studium secundùm præcepta Dei vivendi, verùm agit de voluntate & conatu ejusmodi, quo Deum præveniamus & moveamus, ut nobis sua beneficia proponat atque offerat: Quod ità esse ex ipsâ thesi Apostolicâ apparet, quæ ejusmodi est: Non omnes qui secundùm carnem ex Abrahamo nati sunt, verè ipsius esse filios, & ad illas promissiones, quibus Abrahæ posteritati felicitas æterna est promissa, pertinere: verùm eos duntaxat filios Abrahæ esse, quibus Deo placuit illam gratiam donare, nullâ nativitatis quæ secundùm carnem est habitâ ratione: ii verò sunt, qui in Deum per Christum crediderunt,

derunt, (quibuscunque tandem parentibus orti sunt) atque hac ratione filii Abrahami spirituales facti sunt. Unde non oportere jam salutem & justitiam ex Lege à Mose datâ petere, quæ quondam Abrahæ & Israëlis secundùm carnem filiis à Deo tradita fuit; sed per fidem Jesu Christi, quæ deinde ab ipso eodem Deo Abrahæ & Israëlis spiritualibus filiis in sempiternum proposita fuit. Atque hæc genuina est hujus loci sententia. Quamobrem quemadmodum nos libenter ei rei accedimus; neminem esse hominem, qui voluntate & cursu suo hoc obtinere potuerit, vel possit, ut Deum ad conferendum beneficium aliquod in illum moverit; ità vicissim postquam Deus gratiam suam obtulit, hominem vel gratiam oblatam accipere & amplecti, aut ex præscripto divinæ voluntatis vitam instituere non posse, pro pernicioso errore ducimus.

Quid porrò ad secundum *respondes?* Et ea *trahendi* ratio non tollit *liberum arbitrium:* Nec enim fit eâ ratione, ut *vis à* Deo fiat hominibus; verùm promissionum suarum Deus & præstantiâ

& firmitudine ostensa, homines ad filium suum *trahit*. Quòd verò ea *trahendi* ratio non vi fiat, *primùm*, ex his quæ Christus ibidem subjecit, apparet, ubi rationem istam *trahendi* explicat: *Erunt omnes docti à Deo. Qui itaque à Patre audivit, & didicit, is venit ad me. v.* 45. Ubi manifestum est, *à Patre trahi*, nihil aliud esse, quàm *à Patre audire*, & doceri. Id verò qui fiat, ex verbis Christi paullò inferiùs expressis, planum est: *Non quòd quisquam Deum viderit, nisi is qui à Deo est, is vidit Patrem.* Deinde, hinc etiam perspicuum est, quòd ea *trahendi* ratio ad omnes pertinet, ad quos Evangelium pervenit, ut ex illo loco colligere promptum est, ubi Jesus ait: *Ego cùm exaltatus fuero de terra, omnes trahàm ad meipsum.* Joan. 12. 32.

Ad tertium *verò quid affers?* Hoc *testimonio* non tolli *liberum arbitrium* hinc animadverti potest, quòd hic nulla mentio Dei fiat, qui homines illos ad vitam æternam ordinaverit; verùm simpliciter tantùm scriptum est, *credidisse quotquot ordinati fuerunt ad vitam æternam*, quòd de ipsis hominibus in-

xelligi poteſt, quòd ipſi, *ordinati fuerunt*, id eſt, *apti ad amplectendam Chriſti doctrinam*, ut proinde vitam æternam capeſſendam: ut paullò ſuperiùs in eodem capite vi. 46. ſcriptum exſtat in re huic contrariâ, alios *ſeipſos indignos judicâſſe vitâ æternâ*. Et quemadmodum inferiùs Chriſtus ait; *Sibi multum populum fuiſſe Corinthi*, non aliâ de cauſsâ, quàm quòd *apti* fuerint, ut populus Chriſti fierent. Act. 18. 10.

Quæ verò teſtimonia *ſunt, quæ ad certas perſonas ſpectent?*

Sunt inter alia, in quibus ſcriptum exſtat, Deum *indurâſſe* Pharaonem; & Judam, qui Apoſtolus Domini fuerat, Dominum *prodere*, ut è ſcripturis apparet, *coactum* fuiſſe.

Quid verò tu ad hæc reſpondes?

Fateor, Deum interdum quoſdam homines ità à ſuâ gratiâ rejicere, ut nec reſipiſcere, nec corrigi poſſint. Verùm ea Dei opera actionéſque nullo modo tollunt ſimpliciter loquendo *liberum arbitrium*; cùm ea exempla, in quibus illa apparent, ſint *ſingularia*. Quæ Deus idcirco exſtare vult, quòd homines, cùm licuit,

licuit, Deo tamen parêre recusârint, eóque à multo tempore digni exstiterint, in quos Deus judicia sua extenderet; quæ tandem, cùm illi libet, extendit: qualis erat Pharao, qui Dei populum multò ante per tempus diuturnum afflixit; ità etiam Judas, qui à multo tempore fur & avarus erat; idcirco Deus iis ad perficienda illa tam nefaria flagitia est abusus.

Caput XI.

De Justificatione.

Cum perceperim, & quid fides sit, & quatenus in nostrâ potestate sit; *expone porrò quid* eâ fide *consequamur.*

Per *fidem in Christum* consequimur *justificationem.*

Quid verò est justificatio?

Justificatio est, cùm nos Deus pro justis habet, quod eâ ratione facit, cùm nobis & peccata remittit, & nos vitâ æternâ donat, de quo apertè testatur Paulus, dum ait, *in eo beatitudinem hominis consistere, cui Dominus imputat justitiam:* Rom. 4. 6. Deinde, è Psalmo addit; *Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum. Ps.* 32. 1, 2.

Ergò sine fide in Christum nemo justificatur?

Nemo prorsus. Verùm id de eo tempore intelligendum est, quo Christus patefactus est: de quo etiam illa Petri verba

verba accipienda sunt, *non esse nomen sub cœlo datum hominibus, per quod nos servari oporteat, nisi nomen hoc* Jesus, Act. 4. 12. Nam quod attinet ad tẽpus quod Christi patefactionem antecessit, de eo id affirmari non potest. Etsi enim omnes, qui unquam in Deum crediderunt, ob fidem justificabuntur, (ut è cap. 11. Hebr. aperte colligi potest) nihilominus ea *justificandi* ratio in Fœdere per Mosen dato non fuit comprehensa, verùm ab ipsâ Dei gratiâ merè pependit: At nunc ea *justificandi* ratio per *fidem* in Christum, in ipso Fœdere continetur. Vnde illorum fides fidem in Christum non includebat, eóque Apostolus ait, *fidem venisse per Evangelium* Gal. 3. 22. 23. 24. 25. Atque ad eum modum, illi non propter fidem in Dei filium, sed in ipsum Deum sunt justificati.

Veruntamen locus ille Act. 15. 11. *repugnare videtur huic sententiæ, ubi ait Apostolus*: Nos per gratiam Domini Jesu Christi servatum iri, quemadmodum & illi patres.

In eo loco non habetur vox *Patres*, verùm ejusmodi oratio, *quemadmodum & illi.* Ea verò vox, *illi* non refertur ad propriora verba, in quibus *Patrum* fit mentio (nec enim de *Patribus* illìc erat sermo) verùm refertur ad verba remotiora, in quibus sermo de *Gentibus* habetur, de quibus propriè agitur, qui superiùs aliquoties Judæis credentibus opponuntur, prout ipsi Judæi Gentibus itidem credentibus: sic enim legimus ver. 8, 9, 10, 11. *Deus ergò, qui novit corda, dedit eis* [intellige Gentibus] *testimonium, dato eis Spiritu Sancto, quemadmodum & nobis* [Judæis] *neque discrevit inter nos & illos, fide purgans corda ipsorum* [Gentium.] *Nunc verò quid tentatis Deum, imponentes jugum* [legem cerimonialem] *cervicibus discipulorum* [Gentium] *quod nec Patres nostri, neque nos portare potuimus: verùm per gratiam, &c.* Nec verò officere quicquam huic interpretationi, quòd vox, *Patres*, proprior sit quàm vox, *Gentes*, è superioribus quos attulimus in re simili locis, patere arbitramur. Ac nè id quidem alicujus momenti est; quòd vox, *illi*, fit masculini,

masculini, vox verò, *Gentes*, in Græco neutrius generis, eóque vocem hanc, *illi*, ad *Gentes* referri non posse: cùm alibi etiam vox, *Gentes*, in Scripturis reperiatur aut conjuncta masculino generi, vel ad illud relata, Rom. 2. 14. Matth. 28. 19. Aut si hanc interpretationem quispiam nolit admittere, tum vox, *illi*, ad vocem, *discipuli*, quæ proximè antecedit, commodè referri potest, quæ etiam masculini generis est, quemadmodum & vox, *illi*. Certum autem est, voce *discipulorum* Gentes credentes intelligi.

DE OFFICIO CHRISTI REGIO.

PErcepi *omnia, quæ* Officium Propheticum *Christi* complectatur : *progredere ad alia ipsius* Munera, Regium *nempe &* Sacerdotale.

Rectè sané : Sic igitur habeto ; Munus Christi Regium *duplici* ratione considerari, *tum Regni* ipsius, *tum* ipsius *Populi*, qui ei subest, ratione.

Quæ verò ipsius Regni *est ratio ?*

Ea, quòd Deus eum suscitatum à mortuis, & in cœlos assumptum, à dextris suis collocavit, ei potestate in cœlis, & in terrâ omni datâ, & omnibus ipsius pedibus, se excepto, subjectis, ut fideles

les ſuos gubernare, tueri, & æternùm ſervare poſſit.

Ubi hæc ſcripta ſunt?

Plena eſt horum Scriptura. Eâ tamen de re ſingulari ratione teſtatur Apoſtolus, Epheſ. 1. 19,20,21. *Deum ſupereminentem magnitudinem virtutis ſuæ erga nos reipsâ oſtendiſſe in Chriſto, dum eum à mortuis excitavit, & collocavit ad dextram ſuam in cœleſtibus, &c.* Et in Act. Apoſt. ait Petrus, cap. 5. 30,31. *Deus Patrum noſtrorum excitavit Jeſum, quem vos ſuſtuliſtis ſuſpenſum in ligno. Hunc Deus Principem & Servatorem exaltavit dextrâ ſuâ, ad dandam Iſraëli pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.*

Verùm illi aïunt, Chriſtum ſeipſum à mortuis excitâſſe.

Falluntur vehementer, cùm, ut audîſti, manifeſtè in locis infinitis Scriptura loquatur, Deum Abrahami, Iſaaci, Jacobi, qui Pater Chriſti ſit, Chriſtum à mortuis excitâſſe. Quod adeò verum eſt, ut ſcripta Novi Fœderis, ſæpiùs Dei nomine non expreſſo, ità eum deſcribant, *Is qui Chriſtum excitavit à mortuis*, Rom. 4. 24. & 8. 11.

At cur in eâ sunt sententiâ?
Arbitrantur quædam Scripturæ testimonia id continere, ut cùm Servator aït, Joan.2.19. *Dissolvite hoc templum, & in tribus diebus excitabo illud.* Et infrá: cap.10.ver.17,18. *Propterea amat me Pater, quia ego animam pono, ut eam rursus assumam. Nullus eam tollit à me, verùm ego eam pono à meipso. Et habeo potestatem ponendi eam, & habeo potestatem iterum sumendi eam.* Et cùm Apostolus aït, 1 Pet. 3.18. *Christus semel passus est, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.*

Quid ad primum *locum respondes?*
Primùm respondeo; adeò pauca, & figurata, & obscura testimonia, tot Scripturæ perspicuis testimoniis opponi non posse, ut ea quæ & numero sunt pauca, & adeò obscura, ea quæ & tot sunt numero, & adeò clara & perspicua, explicent; verùm & pauca & obscura omninò juxta sententiam & plurium & clariorum accipienda sunt. *Deinde*, quod ad *primum* testimonium allatum attinet, Græca vox, ἐγερῶ, quæ est

reddita

reddita Latinè, *excitabo*, potest reddi, *erigam*. Vnde sensus erit, Christum à Deo excitatum à mortuis, suum corpus erexisse. *Deinde*, in his figuratis loquendi modis, non tam verba ipsa, quàm res attendenda est; maximè si secundùm verba aliquid falsi, aut quod aliis Scripturis repugnet, constituendum sit: *Denique*, si quis obstinatè vocem, *excitabo*, urgere velit, is animadvertat, quid D. Jesus alibi dicat: *Eum qui perdiderit animam, vivificaturum illam*, ubi si quis insistere vellet ipsis verbis, eum colligere oporteret, credentes etiam ipsos sese vivificaturos, & à mortuis excitaturos esse, Luc. 17. 33.

Quî verò hoc intelligendum?

Ad eum modum: Christum hîc ita loqui velle: Etiamsi vos me sustuleritis, nihilominus post tres dies à mortuis resurgam.

Ad secundum quid respondes?

Ea oratio non efficit Christum mortuum aliquam virtutem in se habuisse, quâ seipsum excitaturus erat, cùm & de credentibus legamus ipsis datam esse potestatem, ut *filii Dei*, id est, immortales

tales fierent: licèt hoc certum sit, Deum donatâ illis immortalitate, eos filios suos effecturum. Unde apparet hujus loci hanc esse sententiam; ut non in vestra potestate ut me tollatis è medio verùm in voluntate Patris mei situm est: ità nec in voluntate vestrâ erit, ut in morte maneam: verùm ea voluntas Patris est, ut ego positâ animâ perveniam ad resurrectionem à mortuis, & accipiam à Patre vitam æternam. Quod etiam subsequentia verba indicant: *Hoc mandatum accepi à Patre meo*, v. 18.

Ad tertium *quid respondes?*

Neque ex eo ullo modo apparere, Christum seipsum à mortuis excitâsse; cùm in hoc loco non sit scriptum, eum *spiritu proprio* esse *vivificatum*; verùm id solùm, *spiritu vivificatum*. Quod de spiritu Dei prorsus accipiendum est, siquidem superiùs ostendimus, quòd virtute suâ filium Deus Pater excitaverit.

Quo *verò in* corpore *Christus est excitatus?*

In eo prorsus, in quo crucifixus fuit, quippe

quippe cùm legamus eum comedisse atque bibisse post resurrectionem cum discipulis suis, & vulnerum vestigia in manibus, pedibus, & latere iisdem ostendisse.

Cur verò Christus in ejusmodi corpore *fuit excitatus?*

Ut Apostolos discipulósque suos de resurrectione suâ certos redderet; quæ caussa etiam erat, cur per dies quadraginta cum iis ageret, & de *Regno Dei* colloqueretur, ac subinde iis appareret, postquam à mortuis excitatus fuisset.

At quale *Christus nunc habet* corpus?

Habet corpus immortale, glorioſum, potens, ſpirituale, cùm factus ſit in ſpiritum vivificantem, 1 Cor. 15. 42, 43, 44, 45.

Fideles *verò ipſius* qualia corpora *habituri ſunt?*

Similia corpori glorioſo Domini Jeſu Chriſti, Phil. 3. 21.

Ubi verò eâ de re teſtatur Scriptura, Chriſtum in cœlos aſſumptum?

Teſtatur eâ de re Lucas nominatim c. 24. 50, 51. ubi legimus, *Et eduxit eos foràs*

ràs usque in Bethaniam, & sublatis manibus benedixit eis. Et factum est, cùm benediceret illis, disjunctus est ab eis, & ferebatur in cœlum. De quo etiam Marc. 16.19. & Act.1.9.

Cur autem in cœlos *sublatus est? Propterea,* quòd in cœlis habitet immortalitas, & illic fit domicilium & Respublica omnium Dei filiorum, quò ille, tanquam præcursor eorum, omnes prævenit, ut iis locum pararet, 2 Pet.3. 13. Phil.3.20. Hebr.6.20. Joan.14. 2, 3.

At ubi Scriptura tradit Jesum ad dextram Dei consedisse, *& omnia subjecta habere?*

Ephes.1.20,21,22. ubi hâc de re expresse Apostolus agit, & 1 Cor.15.27. & 1 Pet.3.22. Heb.2.7,8.

Quid autem est, sedere ad dextram Dei?

Est vices Dei gerere, ac virtutem efficacem habere ad gubernandum & conservandum Dei populum; quæ in eo eminet, quòd Christus in corpora & animas absolutam habeat potestatem; nec hominibus tantùm, verùm etiam Angelis

lis, & bonis, & malis, & morti ac inferno dominetur.

Cur eam potestatem in corpora & animas *hominum habet Jesus?*

Ut in omni necessitate, & spirituali & temporali, iis subvenire possit: & quòd sit constitutus vivorum & mortuorum judex, & cuique secundùm opera ipsius redditurus, & secundùm occulta cordis quemque judicaturus sit.

At in Angelos bonos *&* malos *cur dominatur?*

Angelis bonis idcirco dominatur, ut iis uti possit ad omne ministerium, quo vel Regni ipsius fines promoveri possint, vel credentes in necessitate quâvis juvari. In *malos* potestatem habet, ut eorum conatus & machinationes reprimat, qui in eo toti sunt, ut genus humanum universum, potissimùm verò credentes, qui immortalitatem consecuturi sunt, deleant & exterminent: útque eorum potestate cùm vult utatur, vel ad puniendum aut coërcendum homines, qui aut honori ipsius, aut credentium saluti obstent, aut quoquo modo, quantùm

in

in ipsis est, nocere velint, aut vel ipsi, vel credentibus adversarii existant.

Mortis *verò &* Inferni *cur habet imperium?*

Ut credentes, licèt à morte absorpti fuerint, denuò vitæ reddere, & immortales præstare possit. Quamobrem ipse Christus expresè ait, *habere se claves Inferni & mortis,* Apoc. 1. 18.

DE

DE
Munere Christi
SACERDOTALI.

Expositi Munus Christi Regium, *expone etiam* Sacerdotale.

Licèt jure hìc progredi debeamus ad explicandam doctrinam de *populo* Jesu Christi; quia tamen Munus Christi *Sacerdotale*, cum Munere Christi *Regio* nimis arctè conjunctum est, priùs te de illo instruam. *Munus* igitur *Sacerdotale* in eo situm est, quòd quemadmodum pro *Regio* Munere potest nobis in omnibus nostris necessitatibus subvenire: ità pro Munere *Sacerdotali* subvenire vult, ac porrò subvenit: Atque hæc illius subveniendi seu opis afferendæ ratio, *sacrificium* ejus appellatur.

Quare

Quare hæc ejus opis afferendæ ratio Sacrificium vocatur?

Vocatur ità figurato loquendi modo, quòd quemadmodum in priſco Fœdere, ſummus Pontifex ingreſſus in Sancta Sanctorum, ea quæ ad expianda peccata populi ſpectarent, perficiebat: ità Chriſtus nunc penetravit cœlos, ut illic Deo appareat pro nobis, & omnia ad expiationem peccatorum noſtrorum ſpectantia peragat, Heb. 2. 17. & 4. 14. & 5. 1. & 9. 24.

Quid porrò eſt peccatorum expiatio?

Eſt à pœnis, quæ peccata tum temporariæ tum æternæ comitantur, & ab ipſis etiam peccatis, nè eis ſerviamus, liberatio.

Quî expiationem peccatorum *noſtrorum Jeſus in cœlis peragit?*

Primùm, à peccatorum pœnis nos liberat, dum virtute & poteſtate, quam à Patre plenam & abſolutam conſequutus eſt, perpetuò nos tuetur, & iram Dei, quæ in impios effundi conſuevit, interventu ſuo quodammodo à nobis arcet: quod Scriptura exprimit, dum aït *eum*

pro

pro nobis interpellare. *Deinde*, ab ipsorum peccatorum servitute nos liberat, dum eâdem potestate ab omni flagitiorum genere nos retrahit & avocat: id verò in sua ipsius personâ nobis ostendendo, quid consequatur is qui à peccando desistit: vel etiam aliâ ratione nos hortando & monendo, nobis opem ferendo, ac interdum puniendo, à peccati jugo exsolvit.

Quodnam est discrimen inter veteris & novi Fœderis peccatorum expiationem?

Expiatio peccatorum sub Novo Fœdere, non solùm distat ab expiatione peccatorum sub Vetere plurimùm, verùm etiam longè præstantior & excellentior est: id verò *duabus* potissimùm de causis: *Prior* est, quòd sub Veteri Fœdere, iis tantùm peccatis expiatio per illa legalia sacrificia constituta fuit, quæ per imprudentiam, vel per infirmitatem admissa fuêre, unde etiam *infirmitates* & *ignorantiæ* nuncupabantur: verùm pro peccatis gravioribus, quæ transgressiones erant mandati Dei manifestæ, nulla sacrificia instituta fuerant, sed mortis

pœna

pœna fuit proposita. Quod si talia Deus alicui condonabat, id non vi Fœderis fiebat, sed misericordiâ Dei singulari, quam Deus citra Fœdus, & quando, & cui libuit, exhibebat: sub Novo verò Fœdere peccata expiantur, non solùm per imprudentiam & infirmitatem admissa, verùm etiam ea, quæ apertissimorum Dei mandatorum sunt transgressiones, dummodo is cui labi ad eum modum contigerit, in eo non perseveret, verùm per veram pœnitentiam resipiscat, nec ad illud peccatum amplius relabatur. *Posterior* verò caussa est, quòd sub prisco Fœdere ad eum modum peccatorum expiatio peragebatur, ut pœna temporaria tantùm, ab iis, quorum peccata expiabantur, tolleretur. Sub novo verò ea est expiatio, ut non solùm pœnas temporarias, verùm etiam æternas amoveat, & loco pœnarum, æternam vitam in Fœdere promissam, iis quorum peccata fuerint expiata, offerat.

Quâ ratione verò utrumque demonstras?

Peccata, quæ sub Vetere Fœdere expiari

ri non potuere, omnia sub Novo expiari testatur Apostolus Paulus in Actis, cap. 13.38,39. ubi ait, *Notum igitur sit vobis, Viri fratres, quòd per eum annunciatur vobis peccatorum remissio, & ab omnibus à quibus per legem Mosis justificari non poteratis, per hunc qui credit, justificatur.* Idem habetur Rom.3.25. & Heb.9.15. Quòd verò eâ ratione expientur peccata sub Novo Fœdere, ut etiam æterna pœna amoveatur, & vita æterna donetur, habetur Heb.9.12. ubi ait, *Christus per proprium sanguinem introïvit semel in Sancta æternâ redemptione inventâ.*

Cur id sacrificium Christi in cœlis peragitur?

Ideo, quòd tale tabernaculum requireret, qualis ipse esset Sacerdos, quale & ipsius sacrificium exsisteret. Cùm enim Sacerdos ipse esset immortalis, & sacrificium ipsius prorsùs incorruptibile, in æternum tabernaculum ipsum intrare oportuit. At tale tabernaculum cùm tantùm cœlum exsistat, sedes & domicilium Dei, idcirco necesse erat, ut in cœlos profectus, Sacerdotali Munere fungeretur,

fungeretur, ut apertè Autor Epistolæ ad Hebræos testatur, dum ait, cap. 7. 26. *Talis nos decebat Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Et inferiùs ait, cap. 8. 4. *Si in terris esset, nè Sacerdos quidem esset.* Et inferiùs rursus, cap. 10. 5. *Hostiam & oblationem pro peccato noluisti, corpus autem aptâsti mihi, &c.*

Quid? an non erat Sacerdos, *antequam in cœlos ascenderet, & præsertim cruci affixus penderet?*

Non erat: Nam ut modò audîsti, apertè is scriptor divinus testatur, *Si in terris esset, eum nè sacerdotem quidem futurum.* *Præterea*, cùm idem Autor testetur, Heb. 8. 4. *ipsum fratribus similem per omnia esse debuisse, ut misericors fieret & fidelis Pontifex, in eis quæ ad Deum*, perspicuum est, quamdiu fratribus similis per omnia, id est, in afflictionibus & morte non erat, tamdiu reipsâ eum Pontificem nostrum misericordem non fuisse. Atque ad eum modum afflictiones & ipsa mors non erant sacrificium ipsum, verùm via quædam & præparatio ad illud peragendum.

Cur

Cur verò Apostolus ait, Christum tradidisse semetipsum victimam & oblationem Deo in odorem suavitatis, Eph. 5. 2.

Primùm tenendum est, nos mortem Christi ab ipsius oblatione non sejungere, imò verò constanter asserere, Christum non aliter seipsum quàm morte ipsius interveniente obtulisse; tantùm hoc asseveramus, oblationem ipsius non fuisse antea reipsâ consummatam, nec absolutam, antequam à mortuis excitatus cœlos ascenderet. Nam & in illo sacrificio legali anniversario, quod potissimùm sacrificium Christi adumbravit, ad consummandum sacrificium, omnino mactatæ pecudis sanguinem in Sancta Sanctorum inferri oportuit; ut Autor Epistolæ ad Hebræos testatur, cap. 9. 7. *Deinde*, in illo loco citato expendendum est, Apostolum non ità loqui, quòd Christus seipsum obtulerit Deo pro nobis: nam hoc verbum, *tradidit*, non debet conjungi cum voce *oblationem*; verùm per se debet legi, quòd Christus semetipsum tradiderit, subintellige in mortem. Nam

eo sensu verbum *tradendi* usurpat aliis in locis Scriptura, Eph.5.25. Gal.2. 20. Rom.8.32. *Porrò*, sequentia verba [*Victimam & oblationem Deo in odorem suavitatis*] sunt veluti illustratio & commendatio istius operis Christi, quòd semetipsum tradidisset. (Hâc verò Apostolus credentes ad imitandum istud Christi factum in amando proximo cohortatur.) Quemadmodum simili loquendi genere, alibi alia bona opera commendantur, ut Phil.4.18. Atque ideò beneficentia & communicatio *sacrificia* vocantur, *quibus delectatur Deus*, Heb.13.16. ut etiam omnia bona opera, quæ credentes in Christum faciunt, 1 Pet.2.5. Quæ bona opera Christianorum illis sacrificiis legalibus adumbrata fuêre.

Illius verò loci Scripturæ, Christum per semetipsum, purgatione peccatorum factâ, consedisse in Dextera throni Majestatis in excelsis, *quæ erit sententia?* Heb.1.3. Non eò loquitur Autor ille ad eum modum, ac si Christus antequam in cœlos exaltatus esset, sacrificium suum per

mortem

mortem consummâsset; verùm eò, quòd modus expiandi & purgandi peccata, ex quo Christus à mortuis excitatus profectus est in cœlum, & illic seipsum pro nobis Deo obtulit, perfectus & absolutus fuit, hoc est, id factum est, quo nos ad amplectendam peccatorum remissionem, quam Deus nobis obtulit, moveremur: & Christus potestatem habet nobis dandi reipsâ peccatorum remissionem, unde postmodum sequitur perpetuò, ipsa peccatorum purgatio & mundatio, & à pœnis peccatorum vera liberatio.

Cur verò Scriptura, ubi agit de Christi Munere Sacerdotali, commemorat ipsum pro nobis interpellare? Rom.8.34. Heb.7.25.

Cùm Scriptura testatur Christum *pro nobis interpellare*, non propterea fit, ac si ille preces pro nobis ad Deum propriè fundat: hoc enim simul non consistit cum perfecta ipsius potestate, quam Deus ei reipsâ concessit, & ob quam ipse Rex noster est: verùm eò fit, ut in mentibus nostris infigatur prorsus, potestatem omnem, quam Christus ha-

beat: non ex sese habere, verùm Dei Patris dono; & ità opera omnia efficere, ac si ad ea efficienda virtutem precibus intervenientibus subinde obtineret; id verò Spiritus Sanctus propterea facit, ut prærogativa & eminentia Patris integra & inviolabilis persistat.

DE

DE ECCLESIA CHRISTI.

INtellexi quæ de Regno Christi tradidisti; expone porrò qui sit ipsius Populus?

Est Ecclesia aut cœtus Christianorum: isque *visibilis* vel *invisibilis*.

CAP. I.

De Ecclesiâ visibili.

QUæ verò Ecclesia visibilis est?

Est cœtus eorum hominum, qui doctrinam salutarem tenent, & profitentur. Eáque potest considerari in *genere* & in

specie. In *genere*, cùm omnes cœtus Christi visibiles per totum mundum dispersi, pro uno Christi cœtu, vel pro unâ Ecclesiâ considerantur. In *specie*, cùm singuli cœtus incertis locis exsistentes, pro Ecclesia Christi accipiuntur.

Cùm nunc passim omnes cœtus Ecclesiæ Christi nomen sibi vendicent, doceri velim, ubi sint aliqua signa, è quibus Ecclesia Christi agnosci queat?

Non multùm juvat *signa* veræ Christi Ecclesiæ inquirere, cùm tibi exposuerim, quid veram Ecclesiam constituat; nimirum *salutaris doctrina*, quam quicunque cœtus habet & profitetur, est vera Christi Ecclesia: Qui verò cœtus salutarem doctrinam non habet, nec profitetur, etiamsi nescio quæ signa proferat, atque prætendat, pro verâ Ecclesiâ Christi haberi non potest. At tenere salutarem doctrinam, cùm Ecclesiæ Christi sit natura, signum illius, si propriè loquaris, esse non potest, cùm signum ipsum à re cujus signum est differre oporteat.

Ergò

Ergò ad cognoscendum, quæ sit vera Christi Ecclesia, satis est cognovisse salutarem doctrinam.

Rem probè percepisti. Etenim qui *salutarem doctrinam* amplectitur, jam est in ipsâ Ecclesiâ verâ. Quare nihil est cur de notis Ecclesiæ quærat, è quibus Ecclesia agnoscatur. *Salutaris* porrò *doctrina* quæ sit, è nostro sermone colloquioque discere potuisti.

Caput II.

De Regimine & Gubernatione Ecclesiæ Christi.

Quandoquidem exposueris mihi Ecclesiam Christi visibilem doctrinâ salutari *constare, qui* Ordo *in eâdem doctrinâ illi præscriptus sit, doceri abs te velim.*

Ordo is situs est in *Officiis* personarum, quibus Ecclesia Christi constat, & accuratâ animadversione & observatione,

ut singulæ personæ Officiis suis fungantur.

Quæ verò sunt personæ *quibus Ecclesia constat?*

Earum aliæ sunt quæ *præsunt*; aliæ quæ *dicto* sunt *audientes.*

Quæ porrò præsunt?

Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ, Doctores, Pastores, Episcopi, Seniores & Diaconi.

Quod est officium earum personarum, quos Apostolos *vocas?*

In mundum universum ire, & Evangelium Christi annunciare, cujus gratiâ à Christo & electi primùm, & ab ipso missi fuere, unde etiam *Apostoli* vocati sunt, quos etiam Christus Spiritu Sancto iis visibilem in modum misso, & virtutibus ingentibus armaverat, Mat. 28.19. Mar.16.15. Act.2 4.

Quod Officium Prophetarum *est?*

Futura prædicere, & difficilia intellectu ad Religionem Christianam spectantia interpretari, 1 Cor. 14.

Quod Evangelistarum *Munus?*

Apostolis in annunciando Evangelio opem afferre, & illud itidem per diversas regiones

regiones spargere & plantare, quales erant Philippus, Timotheus, & alii, Act. 21. 8. 2 Tim. 4. 5.

Quæ Doctorum, Pastorum, Episcoporum & Seniorum *Officia?* Aliis in sermone præire, ordinem in Ecclesia Domini in omnibus tueri, & pro populo Dei preces fundere, 1 Tim. 5. 17. Act. 6. 4.

Quod autem Diaconorum *Munus?* Necessitatibus Ecclesiæ, præsertim pauperum servire, Act. 6. 2, 3.

Num ergò hodie in Ecclesia Christi, omnes hæ personæ, quas aliis præesse asseruisti, & quarum Officia descripsisti, inveniuntur? Quod attinet ad *Apostolos* & *Prophetas*, certum est, nullum amplius in Ecclesia Christi eos locum habere. Etenim causa, ob quam illi & electi & missi à Deo fuere, desiit. Ea verò fuit, quòd per eos Deus, doctrinam filii sui mundo annunciari & confirmari voluerit. Quapropter illi vocati etiam fuere *fundamenta Ecclesiæ Christi* à Paulo Eph. 2. 20. Postquam igitur doctrina Christi, secundùm Dei consilium & patefacta,

& confirmata fuit abundè, iis personis, quæ eam patefacerent & confirmarent, nihil est amplius in Ecclesiâ loci relictum.

Cur Apostolos & Prophetas fundamentum Ecclesiæ Christi *vocas, cùm ipse Christus sit illius fundamentum?* 1 Cor. 3. 11.

Alio sensu Apostoli & Prophetæ vocantur *fundamentum Ecclesiæ Christi*, alio ipse Christus *Ecclesiæ suæ fundamentum* exstitit. Cùm enim Apostoli & Prophetæ vocantur *fundamentum Ecclesiæ Christi*, fit hoc respectu aliorum hominũ, qui ad eandem Ecclesiam Christi pertinent, & doctrinâ Prophetarum & Apostolorum prorsus nituntur: Actum Christus consideratur ut quiddam majus, id est, tanquam lapis angularis illius fundamenti, ut ibidem ad Eph. 2. 20 scriptum est. Cùm verò Christus ipse *fundamentum Ecclesiæ suæ* vocatur, tum verò non solùm aliorum hominum, verùm etiam ipsorum Apostolorum respectu illud fit, qui Domino sunt superstructi, quemadmodum & credentes alii.

De Evangeliſtis *quid ais?*

Eos pariter cum Apoſtolis deſiiſſe. Nam tum unà cum Apoſtolis doctrinam novam annunciabant, quæ nunc pro vetuſtiſſima habetur.

De aliis autem perſonis quid cenſes?

Cùm eorum miniſteria etiam nunc perſiſtant, & ipſas perſonas permanere prorſus judico, quippe quæ illorum cauſsâ conſtitutæ fuerint.

Quâ ratione verò ad id miniſterium conſtituuntur?

Ad eum modum, ut in doctrinâ Apoſtolicâ præſcriptum habemus.

Qui verò?

De Doctorum, Paſtorum, Epiſcoporum, & Presbyterorum ſeu Seniorum Munere & Officiis ſatis abundè Paulus diſſerit, 1 Tim. 3. 2, 3, 4, 5, 6, 7. *Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſum, unius uxoris maritum, vigilantem, prudentem, ornatum, hoſpitalitatem ſectantem, aptum ad docendum: Non vinoſum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum; verùm temperantem, non pugnacem, non pecuniæ cupidum, qui domui ſuæ bene præſit, liberos habeat in ſubjectione, cum omni caſtitate; (nam ſi propriæ domui præ-*

eſſe

esse non noverit, quomodo Ecclesiæ Dei curam geret?) Non novitium, nè inflatus incidat in judicium Diaboli. Oportet autem eum & testimonium habere ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & laqueum Diaboli. Consimiliter ad Tit. cap. 1. 6, 7, 8, 9. *Episcopus irreprehensus sit, tanquam Dei œconomus, non arrogans, non iracundus, non vinosus, non litigiosus, non turpis lucri cupidus, hospitalis, amator boni, prudens, justus, pius, temperans, tenax fidelis sermonis secundùm doctrinam, ut adhortari possit per sanam doctrinam, & contradicentes redarguere.*

Nónne ii qui docent in Ecclesiâ, & ordini tuendo & conservando invigilant, ut singulari aliquâ ratione mittantur, opus habent?

Nullo modo: etenim illi nunc nullam novam, nec antea inauditam doctrinam afferunt; sed Apostolicam, antiquitus ab omnibus exceptam tantùm proponunt, inculcant, útque secundùm eam vitam instituant homines, hortantur. Unde etiam Apostolus describens disertè omnia quæ ad constituendas ejusmodi personas pertinent, nullam

missionis

missionis facit mentionem. Nihilominus tamen, cùm personæ ejusmodi ex præscripto Apostolicæ doctrinæ constituuntur, & his duabus rebus præstant, vitæ innocentiâ & ad docendum aptitudine, propter ejusmodi constitutionem meritò apud omnes autoritatem justam invenire debent.

Quid verò de illis verbis Apostolicis dicis, Ut prædicabunt nisi mittantur ? Rom. 10. 15.

Id, quòd in his verbis non loquatur Apostolus de quâvis prædicatione, verùm de prædicatione novæ duntaxat & antea inauditæ doctrinæ, qualis prædicatio fuit Apostolica, & aliorum, qui ipsorum adjutores in eodem opere fuerant, quæ omnino *missionem* requirebat: Cùm verò Doctorum horum temporum ejusmodi non sit prædicatio, ut paullò antè docuimus, ejusmodi *missio* ad eam minimè est necessaria.

Diaconos *verò quî creare oporteat ?* Eâ de re Paulus ad Tim. *Diaconi similiter graues, non bilingues, non vino, &c.* 1 Tim. 3. 8, 9, 10. Et infrà: *Diaconi sint unius uxoris mariti, &c.* ver. 12, 13.

Expostuisti

Exposuisti personas quæ præsunt; *exponas etiam ea quæ ad* auditores *pertinent.*

Auditorum vel juniorum Officium est, ut dicto audientes sint eorum qui præsunt, in his omnibus quæ è Verbo Dei præscribunt, de quo in Epist. ad Hebr. legimus, *Obedite ducibus vestris, &c.* Heb. 13.71. Ut cum eis qui docēt in omni bono communicent, & duplici honore dignos censeant, ut adversùs eos accusationem nisi in duobus aut tribus testibus non admittant, Gal. 6.6. 1 Tim. 5. 17. 1 Thess. 5. 12, 13. 1 Tim. 5. 19.

Cap. III.

De Disciplinâ Ecclesiæ Christi.

EXposuisti mihi Officia personarum, *quibus Ecclesia Christi constat*; *expone porrò rationem, quâ eadem* Officia conservantur.

Ea ratio *partim* omnibus incumbit; *partim* iis tantùm qui præsunt personis.

Qui

Quî verò omnibus *incumbit?*

Ad eum modum, uti descripta est. *Videte fratres nè in quoquam, &c.* Heb. 3. 12, 13. Et infrà, cap. 10. 24, 25. *Observemus alii alios, &c.* Et rursus inferiùs, *Contemplantes, nè quis deficiat, &c.* cap. 12. 15. Et Apostolus Paulus aït, *Admonete vos mutuò, & ædificate alius alium,* 1 Thessal. 5. 11. Et infrà, *Rogamus vos fratres, &c.* ver. 14.

At verò cum iis qui Ordinis hujus contemptores *sunt, ut agendum?*

Duplici ratione: nam aut *privatim* castigandi sunt, aut *publicè.*

Quî privatim castigandi *sunt?*

Quemadmodum Christus docuit: *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Matth. 18. 15, 16, 17.

Cur ad eum modum castigandi *sunt?*

Propterea, quia ut ex hoc loco videre est, in nos *privatim* peccent; atque eandem ob causam, de quovis *privato* delicto, sive in Deum, sive in alios designato, idem statuendum est: Id enim & æquitas

æquitas ipsa suadet, & charitas Christiana prorsus exigit.

Quî publicè *sunt* castigandi?

Aut verbis & Oratione; *aut* facto.

Quî verbis & oratione.

Ad eum modum, ut ab omnibus redarguantur *publicè* in Christi Ecclesiâ, de quo ad Tim. *Peccantes argue coram omnibus, &c.* 1 Tim 5.20. Et ad Corinth. *Sufficit tali increpatio ejusmodi, quæ facta est à multis,* 2 Cor.2.6.

Quî autem facto?

Cùm aut societatem ipsius vitamus, & cibum cum eo capere recusamus, licèt eum adhuc pro inimico non ducamus, sed tanquam fratrem admoneamus. Aut: cùm eum ex Ecclesiâ Christi eliminamus, nec ampliùs pro fratre agnoscimus, sed pro alieno prorsus habemus.

Ubi eâ de re scriptum est?

De *priore* ratione ad Corinth. *Si quis frater cognominatus sit scortator, aut avarus, aut Idololatra, &c. nè cum eo manducetis,* 1 Cor. 5. 11. *Deinde* ad Thess. *Denunciamus vobis fratres, in nomine Domini Jesu Christi, ut vos subducatis ab omni*

fratre

fratre inordinatè ambulante, & non secundùm traditionem quam accepistis à nobis; 2 Thess 3.6. Et infrà, ver. 10. *Etenim cùm eramus apud vos, hoc denunciavimus vobis, ut qui laborare nollet, non manducaret.* Et infrà: *Si quis non auscultat verbo nostro, per epistolam, hunc notate, & nè commisceamini cum illo, ut pudefiat. Neque pro inimico ducite, sed admonete ut fratrem*, ver. 14. & 15. De posteriore verò itidem ad Corinthios, ubi ait: *Tollite malum ex vobis ipsis*, 1 Cor. 5.13. Et apud Matth. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, Matth. 18. 17.

Cur verò ejusmodi castigatio servatur in Christi Ecclesiâ?

Ut transgressor sanetur, & in viam revocetur; alii verò metu percellantur, & ab immorigeris non corrumpantur, nec inficiantur, atque ut offensio è cœtu Christi removeatur, verbum Domini malè non audiat, atque ad eum modum nomen Domini & ipsius gloria non profanetur, 2 Thess 3.14. 1 Tim. 5.20. 1 Cor. 5.6,7.

Quod

Quod periculum imminet ejusmodi hominibus?

Id, quòd è cœtu Christi, ac proinde è regno ipsius exclusis, nihil superstit ampliùs, quàm exitium. Cùm hæc *Excommunicatio* nihil aliud sit, nisi illud ligamentum, de quo Christus apud Matth. cap. 18. 18. *Amen, Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solveritis super terram, soluta erunt in cœlis.*

Quæ est ligandi & solvendi potestas, *quam habet Ecclesia?*

Est declaratio & denunciatio secundùm Dei Verbum, qui sit dignus, qui non, ut sit in Christi Ecclesiâ.

Quæ ratio *est* ordinem in Ecclesiâ conservandi *illa, quæ iis, qui* præsunt, *potissimùm incumbit?*

Non solùm illa Officia studiosiùs servare tenentur, quæ singulorum sunt, quàm cæteri omnes: verùm alios ad eadem illa servanda subinde excitare, Ecclesiam inspicere, singulos observare, & tempestivè ac intempestivè instare, arguere, increpare, cum omni lenitate,

&

& doctrinâ, ut ad Tim. habetur, 2 cap. 4. ver. 2. cum ejusmodi tamen cautione id agere debent, quam adhibendam Apostolus docet: *Seniorem nè increpaveris, verùm tanquam patrem admone: juniores tanquam fratres: seniores mulieres, ut matres: juniores, ut sorores, cum omni castitate*, 1 Tim. 5. 1, 2.

Caput IV.

De *Ecclesiâ Christi invisibili.*

Quæ Ecclesia est invisibilis?

Sunt ii, qui Christo confidunt, & illi obtemperant, propterea quæ ipsius Corpus exsistunt.

Cur verò eum hominum cœtum invisibilem vocas?

Idcircò, quòd hominum oculis expositus non sit: nec enim quisquam hujus cœtûs membrum exsistit, nisi qui spiritum Christi habet: cùm Apostolus apertissimè testetur, eum, qui spiritum Christi

Christi non habeat, non esse ipsius. Rom.8.ver.9. *Præterea*, nemo hujus cœtûs membrum esse potest, nisi veram in Christum fidem habeat: etenim per fidem in corpus Christi inserimur, & fide in eo consistimus, Rom.11.19,20. Spiritus verò Christi, & vera in ipsum fides, videri à nobis oculis carneis nullo modo possunt, cùm id utrumque in intimo cordis secessu lateat, & absconditum sit: nam & *Spiritus Christi in corda mittitur*, & *corde creditur ad justitiam*, Gal.4.6. Rom.10.10.

Nunc ex exterioribus factis agnosci potest, qui sit Ecclesiæ Christi membrum?

E factis exterioribus cuivis promptum est agnoscere, qui non sit membrum Ecclesiæ Christi, i.e. qui spiritum ejus non habeat, & fidem veram: Etenim Apostolus ait, *manifesta esse opera carnis*, Gal. 5.19. Verùm *ex exterioribus factis* difficulter cognosci potest, ubi sit Christi spiritus & vera fides: facilè enim *exteriora facta*, quæ ex corde sincero non proficiscuntur, eam speciem referre possunt, quam habent, quæ à corde recto prodeunt.

prodeunt. *Breviter*, poteſt quis animo malus, induere ſpeciem externam hominis probi: Verùm in homine probo ſecus eſt, qui nunquam hominis improbi ſpeciem præ ſe ferre laborat.

Percepi jam omnia, quæ ad Dei Chriſtique notitiam pertinent; expone porrò ſi quid ad notitiam viæ hujus ſalutaris præterea pertineat.

Jam omnia tibi ſatis abundè expoſita ſunt: tuum eſt, ut iis probè perceptis, atque cognitis, ea menti infigas, & ſecundùm eorum præſcriptum vitam inſtituas. Deus verò tibi ad eam rem opem afferat, cui, quòd collocutionem noſtram nobis abſolvere feliciter conceſſerit, ſit laus & gloria per J. Chriſtum in perpetuum. AMEN.

FINIS.